



W  
A. 3/8  
458

| P.A |



See handschriften  
Hotkin folg. or J.W.

WARBURG



18 0280766 0

J  
8.12.11

F  
G  
H

7170

# SCRUTINIUM HERMETICUM

DE  
LAPIDIS PHILOSOPHORUM  
EXISTENTIA  
CLARISSIME PERACTUM

AUTHORE  
COMITE FRANC. ONUPHARIO DE  
*MARSCIANO,*

SINCERISSIMI OCCULTÆ HERMETICÆ SCIEN-  
TIÆ EXPOSITORIS, AC IN ARTE  
MAGISTRI.



VIENNÆ,

ANNO MDCCCLVII.

# SCRUTINIUM HERMETICUM.

*Qui me querit , dives erit :  
Sed nolentes imprudentes.*

In Laudem

*Illusterrimi D. Francisci Onupbrii Comitis  
De Marsciano Authoris,  
Sincerissimi Occultæ Hermeticæ Scien-*

*tiæ Expositoris , ac in Arte Magistri.  
Eccl. cap. 37. vers. 29. Vir Sapiens hæreditabit honorem , & nomen illius vivet in æternum.*

*Idem Eccl. cap. 38. Scientia veræ medicina exaltabit caput possidentis , & coram Principibus in admiratione erit.*

*O Mnem novisti Lapidem virtutis amore ,  
Ut Lapis Hermetis viveret arte tua.  
Ille revixit honor Tuus inde floruit arte.*

*Arti vir , sed & hoc ars sibi debet opus.  
Hermes ergo tuus , suis es tu ; vivat uterque .  
Cui Lapis hic vivit , vivat & ille Sibi.*

*Qui laudem laus se meritò genuisse videtur ,  
Laudis tu , tua laus : partus honoris eris.  
In lapidem sculptur honor , qui vivat in evū .*

*Artis enim Lapidis correparator eras.  
Vivat honore decus , decori quoque vive dein-*

*(ceps ,  
Nunquam virtuti ( qui moriaris ) eris.*

A

vi

Vivitur ingenio, debentur cetera morti,  
Vives ingenio Vir sine fine tuo.  
Est nihil in mundo, quod jam non noveris,  
(ergo)  
Nil sit, quod magnum nesciat esse Virum.  
Non Lapis emoritur, sic nec morieris honore,  
Sic vita felix, ut opus Auctor erit.  
Vixisti dudum, semper sapientia vivit,  
Par posthac longo tempore nullus erit.  
Vive diu FRANCISCE, parem non noveris  
(ullum,  
A quo Doctorum jure Supremus eris.  
Si Lapis Hermetis virtus supereminet omni,  
Omni tu major, te minor omnis erit.  
A falso verum nosti discernere: nil est  
Ergo, quod in vero, posse latere putem.  
Hinc ergo corde preor: per saecula vive,  
Hoc virtus magnum magna meretur opus.  
Hæc tibi sit per me laus, hæc sit Gloria tanto  
(Quam merito emerito debo jure) Viro.

\* \* \*

Frà l' altre maraviglie al mondo bæsti  
Saper ch' Ethica, e Gotta ancor sanasti.

Subscripti vates devoto pectore grates,  
Hinhamus Andreas Goritiensis eas.  
Hæc ita dum dico, medicinæ Doctor Amico  
Vero sincero semper Amicus ero.

Scru-



## Scrutinium Hermeticum,

Nempè  
Quid sit Lapis Philosophorum? ex qua re  
fiat, & quomodo peragatur.

Ex  
Comite Franc. Onuphrio de Marsciano  
Authore.

Fob. cap. 28. Profunda scrutatus sum, & ab-  
scondita in lucem produxi.

## P R Æ L O Q U I U M

Ad Benignum Lectorem.

Anno Domini M. DCC. XLIV. Augustæ.

Isai. cap. 45. vers. 3. Ecce dabo tibi Thesau-  
ros absconditos, & arcana secretorum.

Initium autem sapientiae timor Domini.

Psal. 70.17. Tu Deus docuisti me à juventu-  
te mea, & usque nunc pronunciabo mirabi-  
lia tua.

U T omnes hujus sacræ scientiæ inquisi-  
tores ex tot Cabalis indissolubilibus

A 2

tam

tam profunda Sophorum mysteria facile penetrare possint, hunc quoque alium libellum antequam moriamur pro integra Tyronum eruditione iterum componere censuimus, quapropter cum rei mirabilitatem hisce oculis verè viderim, meisque manibus pertractaverim, itaque ad bonum proximi verissimum arcānum hoc lucidiūs studiosis declarare decrevi, ut magnalia Dei patefiant: Etenim ut ait Eccl. cap. 20. vers.

*32. Sapientia abscondita, & Thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? At sicuti ego adhuc inter Adeptos ignotus autoritate careo, nec mihi quero lucrum, vanam non arrogo laudem, ita omnia ex Philosophis artis hujus magistris comprobabo; & ne hinc indè per volumina multa, quæ hic refiero, expiscari conēris, ex duobus tantum Voluminibus *Bibliotheca Chymica Cario-se Joannis Jacobi Mangeti* omnia ibi excerpta hic exponam, ut Sophorum authoritates à me fideliter relatas ibi facile reperiri possis; & cum Salomonē Lib. Sapient. cap. 7. vers. 13. dicam: *Quod sicuti hanc scientiam sine fraude didicerim, ita fine invidia communico, ac veritatem, opulentiamque ejus non abscondam.* At sincero corde omnia tibi patefaciam, non autem sicuti Philosophi invidi fecerunt cum eorum ob-*

obscurissimis Ænigmatibus, parabolis, metaphorisque imperceptibilibus, cum quibus potius lectorum mentem confuderunt, atque hallucinārunt, non autem illuminārunt. Et sicuti Comes Bernhardus nos sincerè animadvertat, inquiens, quod in hac inquisitione sedulâ mente attendamus, ubi Philosophi congruentes convenerunt. nam ibi tantum est veritas, & ubi discordantes non convenient, ibi procul dubio nos blandi verbis deludant; itaque ubi omnes veri Adepti unanimes in hoc Opere conveniunt, hic lucidissimè demonstrabo, adeò ut unusquisque scientiæ hujus amator, eorum Cabalis detectis, puram invenire queat veritatem usque dum per tot sœcula occultam.

Nam reverâ eorum cum tot falsis ubique receptis, Experimentis sophisticis, præparatiouibûsque metallicis studiò undique adjunctis, ac intermixtis, omnes deceperunt Inexpertos, ut Paracelsus in suis Congeriis Chymicæ cap. 7. & cap. 8. atque prædictus Comes Bernhardus & cæteri nos sincerè animadverterunt. Et ultrà, innumeris quoque cum æquivocis, & figuris, ac nominum multitudine tam materiæ secundæ remotæ, quam proximæ, tam Corpori, quam spiritui impositorum, cum sub nominibus omnibus mundi tam corporum metallorum,

quām lapidum , saliūmque omnium , ac Mineralium eorum Physicum , genuinūmque Corpus occultārint , ac spiritum inde sub rerum omnium fluidarum vocabulis obumbrārint , cūm sub nomine acetī , lactis , urinæ , olei lunaris , vel solaris , aquæ pluvialis , seu tonitrualis , roris majalis , aquæ fortis , Aquæ nivis , succi lunariæ , seu Chelidoniæ , cæterarūmque fluidarum illum descripsérint . Verāque documenta falsis hinc indè ænigmaticè , ac æquivocè , tropisque multis involuta per volumina dispersa , atque ultima primis , primāque mediis omnia commixta confuderint . Ac item cūm etiam plures audaces , vanique jactantes de re sibi ignota temere scribentes , ac inter veridicos undique inveniantur inserti , & quod est pejus multi ad eorum falsitates accreditanas genuina quoqué Adeptorum scripta post Authorum obitum inventa , adulterārunt , ut in Philaletha , in Carminibus Friderici Gualdi , in Alberto Magno , &c. Iclarē patet , de quibus falsitatibus nec Gualdus , nequé Philaletha , nec Albertus somniārunt ; nec ille jactator imputens Johannes Pontanus unquam Philalethæ fuit notus , in suo Fonte Chemicō , nescio quomodo , insertus , atque citatus ; qui Pontanus pudore carens tam absurdā in sua epi-

pistola scripsit ignarus , ( prætèr verum Ignem Artephianum , quem ex libello secreto Artephij Arabis transcripsit , & excerpit ) quòd nemo nisi ipse unicus similia proferre ausus est ; itaque Inexpertis illum Adeptum fuisse credentibus , maximam induxit confusionem , quamvis ille solus stolidus insipiens dixerit , quòd tota materia substantia , omne turpe & fætulentum , ac denique totum corpus per ignem nostrum ( non autem suum ) transeat in corpus spirituale . Quæ dementia , quæ mendacia , quæ ignorantia ! Cūm omnes generaliter , nemine excepto , inter veros Adeptos , n̄l magis aliud jubeant , quām extremam Corporis depurationem ; sicuti quoque ratio naturalis docet , quòd sit impossibile fæces ; ac terrestreitatem , quibus Corpus abundat , ad purissimum vaporem spermaticum illas deducere , ut in hoc opere decet ; alias nisi corpus hoc in purissimum deductum esset vaporem nullum in metallis haberet ingressum . Qua de causa à non nullis Philaletham Adeptum non fuisse falsè supponitur , quia ibi in suo tractatu post Philalethæ obitum , non tantum Pontanum sui amici in serverunt , sed multa de Antimonio , aliisque falsitatibus , in suo quoque Introitu Aperto intermisuerunt , de quibus certe Philaletha non scripsit . Quare

re alia ibi , quæ sua sunt, verissimæ sunt, & cætera.

Ex quibus ergo præfatis omnibus, ac falsitatibus ad junctis inextricabiles errores, rerum confusionem, temporisqué jacturæ profluunt, quod quidem est verè maxime dolendum, hinc omnia simul prædicta non parum impedimenti veritatem inquirentibus adferunt, adeo ut Thesei filo opus habeant, ut in tam vasto introducti labyrintho ex inextricabilibus spinis educi queant. Propterea studiosis est impossibile in tanta rerum confusione nec verbum veritatis comprehendere. Tot enim libri erronei, totque fatuitates, in quibus nec syllaba realitatis elucet, totque falsitates de Antimonio, Regulo martiali, marchasitâ, cæterisque nungis ab ignorantibus, impostoribus, deceptoribusque scriptæ fuere, & à Sapientibus invidis tam confusè, mysteriose, parabolice, obscurèque veritatem adeò velatam, mutilatamque per speculum demonstratam invenies, quod sine lucida periti magistri sincerâ explicatione, nemo quamvis subtilissimô ingeniô dotatus, nec unicum verbum percipere potest: de quibus difficultibus, inter cæteros, vide Dyonisium Zaccarium in 2. Parte sui Opusculi Tom. I. Bibliot. Chon. Curios. Manget, pag. 346.

five

sive Theobaldus Part. 2. Vol. I. Theatri Chymici , pag. 139. vel Petrum Bonum Lombardum plu ribus in capitibus, &c. &c. Atque Riplæum, Bernhardum, &c.

Propterea ut mundus noscat, quod ego non sim invidus, sed verè sincerus, nunc amore proximi motus, cum Deus summè misericors, Arcanum hoc mihi indigo famulo suo peccatorique maximo clementissimè pandere dignatus sit hic planè ex omnibus veris Adepts congruentibus, rosis ex spinis separatis, artis hujus inquisitoribus, omnibus cum circumstantiis, omnia minutim singulaque scitu necessaria sincero corde sinè ulla invidia declarabo, ac enucleabo, quare in hoc opere omnia bene scire opus est, alias si una deficiat, opus jam perfici nequit. Hoc interim si permeam integram, clarissimam, realissimamque explicationem, amice Lector, si te Fata vocant hanc Theosophiam apprehendas, memento mei in tuis precibus. Ac denique cum Thoma à Kempis Lib. I. cap. 5. dicam: Nè te offendat authoritas scribentis, quamvis parvæ sit litteraturæ, sed amor parvæ veritatis te aliciat ad legendum.

Etenim hæc est unica veritas in hac arte & sicjuro: unde nè sophistis amplius credas: imo

AS

MC

ut ait Eccl. cap. 37. 23. qui sophistice loqui-  
tur odibilis est &c. Vale.

Decimatercia Martii 1744. Augusta.

*Hoc studium teneas, stabili seruabis amore,  
Desine nobilis quarare velle lucrum.  
Interea late calantia suscipe vultu,  
Quæ modo lucidius detego cuncta tibi.  
Nam si detrectes nimium suffere lacorem,  
Multæ legens: paginas has lege: doctus eris.*

Omnibus Amicus & Servus.  
Franciscus Onuphrius de Marsciano.

Pars

## Pars Prima.

*Quæte torquebant aliorum Ænigmata lector  
Explicit ista modo pagina rara tibi.*

**H**ic enim totum opus à principio usque ad finem omnibus cum circumstantiis minutim descriptis Theorico - practicè lucidissimis verbis explicantur , ex Biblioteca Chemicæ Curiosa Joannis Jacobi Mangeti diligenter hinc inde ex Authoribus Classicis , verisque Adeptis , mihi nutu Dei bene notis congruentibus extractum , verbisque synonymis ad Textum clariorem reddendum pro Tyronum eruditione illustratum . Unde cùm videris ulterius ubique signat . Tom . 1. vel Tom . 2. semper de duobus voluminibus prædictæ Bibliothecæ Chemicæ Mangeti intelligas ; etenim hoc feci , ut omnia & singula à me fideliter hic relata , in eadem Bibliothecâ Chemicâ facile invenire possis , sine ulteriori fastidio ad sequentes inquirendas doctrinas alias revolvendi libros , &c.

Et in secunda Parte Adeptorum Concordantias adjungam , ut de mea sinceritate , operisque realitate satis & abundè persuasus remaneas ; & ne mireris , si mysterium tam occultum hic apertis detego verbis ,

bis, quia quamvis planissimè descriptum certè scio, quod indigni nihil intelligent & si intelligent, tamen ad bonum finem non pervenient, quapropter Deus sic ab initio decrevit, & cui vult, dat. Unde nonnulli, quia pessimè vixerunt, quamvis rite opus intellexissent, ante ejus perfectionem mortui sunt; itaque si hoc intelligas, cave ne Deum offendas. Secùs verò, ut Deuter. cap. 32. vers. ultim. *Videbis Terram promisam, & non ingredieris in eam, &c.*

Primò igitur sciendum est, quod unicùm tantum detur sub sole Subjectum ad hoc divinum Opus idoneum, ut omnes generaliter testantur Adepti, itaque de hac materia unitate non erit disputandum, cùm satiis ubique Philosophi omnes nîl aliud concludant, ut evidentissimè in mea *Luce Hermetica* ex omnibus strictissimè probavimus; & causa materiæ hujus unitatis est, quia nonnisi ex hoc unico mirabili Chaote Olympico universalì spiritu vitæ repleto ex Elementis producto, spiritum verè universalem in suo primo virginico statu non corruptum neque commixtum nullibi specificatum, salémque Naturæ sulphureum mercurialem in suo centro latentem eruere possumus; nam in aliis quibuscumque Subjectis, jam ambo sunt corrupta individuata commix-

mixta & specificata, atque ad aliam generationem à Natura determinata, & consequenter pro opere nostro inutilia, ac in sua puritate impossibilis extractionis, quia antea Operantis vita deficeret, etenim hic inutilis labor esset, sicuti Exemp. Grat. si aliquis in magno Dolio aquâ pleno parvulum spiritûs vini vitreulum infunderet, ac inde per infinitas distillationes illum in tam modica quantitate vini spiritum ibi primò infusum iterum recuperare vellet, quod certe (ut ait Sendivogius Tractatu de Sulphure, Sermon. de Tribus Principiis omnium rerum Tom. 2. prædictæ Bibliot. Curios. Manget. pag. 487. 2. Column.) in extractione ejus vita deficeret.

Porrò enim, ut dixit Morienes Regi Kalid, hic spiritus universalis in me, in te, omnibusque creatis inest; at quomodo illum extrahere? cùm sit impossibile, ut supra demonstravimus? Propterea à Philosophis metaphoricè quoque dicitur, quod lapis ex omni re erui possit, scilicet sal, cùm omnia creata in cinerem redacta præbeant sal, & omne sal per similitudinem Lapis Hermetice vocatur; sed addit Lullis cap. 52. Tom. 1. dictæ B. C. Manget. pag. 739. 1. Column. *Differentia est inter lapidem, & lapidem, ac inter salem. & salem,* etc.

etenim omne sal est lapis, sed non omnis lapis est Lapis, & Sal Philosophorum. Hin addit Isaacus Hollandus in suo opere minerali Lib. 1. cap. 123. Ex omnibus rebus in Orbe creatis lapis quidem, nempe sal produci, vel extrahi potest, sed Sophorum Lapis non est.

Itaque hoc Sal Naturæ, cum quo natura metalla generat, meritò sal metallorum & Lapis Philosophorum nuncupatur, quia est verum, genuinumque sperma coagulatum incombustibile fixum metallorum, & pater auri, ideoque Lapis noster ab isto sale, qui Lapis per similitudinem appellatur, Lapidis Philosophici nomen assumpsit: Hinc ait Lullius cap. 17. suæ Practicæ Tom. 1. B.C. prædictæ, pag. 768. 1. Column. Quod hic Lapis, sive Sal. Naturæ sit unicus Lapis naturalis Sapientum. &c. &c.

Unde certum est, quod nulla res creata sine spiritu universali, & sale Naturæ non existeret; sed in aliis rebus omnibus aliâ induiti naturâ, unicuique subjecto congrua, ibi peculiari insitione ambo individuata, & specificata resident, & consequenter in aliud sperma commutata aliam sumperunt natu ram, ut antiquissimus Author Roris aurifici profundè declarat, ita non amplius ad aurum procreandum idonea, sed ad alias res

pro-

producendas ibi habilitata juxta novam formam, ac speciem in illo susceptam subiecto, Natura destinavit; qua de causa in hac arte inutilia considerantur, quamvis etiam esset possibile ex aliis corporibus ambo pura extrahere, quod tamen possibile non est, ut supra demonstravimus; nec aliud generarent, nisi illam speciem, in qua individuata reperiuntur, quod etiam hoc Artifici est impossibile, &c.

Et hæc est causa, quare omnes scri ferunt Sophi, quod unica tantum sit eorum matra ad hoc apta à natura destina ta, ac determinata, quia adhuc inspecificatum primum metallorum sperma ad metala procreanda, quod ipsa met natura utitur, in se retinet. De quâ indisputabili verita te vide Sendivogium Tractat. de sulphure loco supra citat. sermon. de tribus principiis omnium rerum, sive Seniorem similiter Tom. 2. præcit. B. C. manget. pag. 224. circa medium 2. columnæ, ut cæteri omnes confimant.

Duplex autem est Sophorum materia consideranda, Remota nempè, & Proxima, uti inter cæteros, videre poteris Annotationes Nicolai Flammelli Tom. 2. B. citat. pag. 353. 1. Col. Remota est quædam sub stantia aquæ cælestis originis, valde pin gulis,

guis, unctuosa, viscosa, aërea, & ponderosa, ubique reperibilis, pueris quoqué nota, fluens super terram, ac stercore tecta, ut ex Philosophis ita congruentibus ulterius demonstrabimus; quæ dicitur materia media sive secunda, vel electrum minerale immatum, quia est auri argenteique sperma, & aurum in fieri, sicut ovum, quod est pullus in fieri, & verè sicut ovum ex albo & rubro compositum, nostrum quoque Subjectum, in sua minera invenitur. Quæ materia ex elementis, immediatè provenit, & ex ipsis est producta, itaque in Vere de Cælo descendit, ut ait Philaletha in Fonte Chemic. Tract. 3. propterea toties & ubique Sophi de Elementis loquuntur. Elementa autem sunt materia remotissima, ideoque non de ipsis verè intelligendum est, sed bene quidem de hoc mirabili rorido Subjecto materiâ secundâ sive mediâ ab ipsis Elementis generata ac ex ipsis, immediatè proveniente, ut Lullius in toto suo Testamento lucide demonstrat. Quæ mediantibus vegetabilibus & animalibus, uti sericum habetur, quamvis non ex ipsis ullò modô, uti sericum procedat, néque ex ipsis constet, sed sicuti, Exemp. Grat. lux ex candela, quæ lux ullò modô immediatè ex candela provenit, cum lux sit positivè substantia cœlestis, sed me-

mediatè tantum, cùm totalitè sit à candela diversa; & ita materia nostra est consideranda, alias certè si esset materia vegetabilis vel animalis, pro opere nostro nullius esset usus neque valoris, quia ut supra dictum est, jam esset in illis subjectis specificata, ac in aliam naturam permutata, atque ad aliam generationem à Natura determinata, &c.

Et ecce causa, quare Philosophi contradictores, inexpertis, atque discordes esse videntur, cùm modò dicant, quòd hoc subjectum sit vegetabile, & animale, vel quòd ex ipsis proveniat, & modò absolutè negant, afferentes nullam esse materiam animalem, nullam vegetabilem, nullamque mineralem. Et alibi subjungant, quòd mineralē esse debeat, nempè intelligentes, primò de suo sale centrali, quod dicitur mineralē, secundò, quia naturam continet mineralē potentialitè, & virtualitè, ut in toto suo Testamento Lullius clare demonstrat, cùm sit verum primordiale sperma metallorum, &c. Ac omnia salia mineralia quoque dicantur, &c.

Opus est ergò eorum Cabalas intelligere, ac verba juxta eorum mentem concilire, & tunc certè inexperti viderent, quòd Sophi néque discordes sint, néque contradictores; & ita in aliis eorum scriptis in-

telligendi sunt. Unde de hoc puncto, quomodo nempè mens Sophorum in similibus apparentibus contradictionibus sit concilianda, vide Epistol. 52. 53. 54. & ultimam Michaëlis Sendivogii Tom. 2. B. pag. 514. sive Dyonisium Zaccarium Parte 2. Tom. I. ejusdem B. C. pag. 346. &c. &c. Vel etiam Petrum Bonam Lombardum in sua Margarita Novella, cap. 9. &c.

Ex qua subindè materia remota sive secunda, alia proxima elicetur, qua de causa hæc materia proxima non reperitur, néque sub terra, néque super terram, ut ajunt Sophi, quia est filia nostra, non jam creando sed ex illo remoto subiecto sapienter extra hendo, uti Philaletha in suo Introitu aper- to cap. I. Tom. 2. B. pag. 662. I. Col. & Richardus Anglicus in in suo Correctorio cap. II. ibidem Tom. 2. B. pag. 270. in prin- cip. 2. Col. testantur. Quia postea in fine cap. è converso addit Richardus, quòd ma- teria remota ubique super terram invenia- tur, ex qua sulphur & mercurius sapientum extrahuntur, cum quibus sub terra à Natura metalla generantur. Ut cæteri confirmant, ae inferiùs videbis, &c.

Quæ materia proxima nîl aliud ver- est, quam illamet cum qua Natura, & ex qua in visceribus terræ metalla producit,

ide

ideo à Philosophis materia metallica, & ar- gentum vivum meritò quoque nuncupatur, ac ità ex re de natura metallica metalla per- ficiimus, quia est reverâ sperma metallicum, alioquin non totiès repeterent sapientes, quòd materia debeat esse metallica & mer- curialis, quapropter omne simile generat si- bi simile; Homo Hominem, Bos Bovem, & cæt. nempè tamen ex primordiali semine proprio, vel spermate vivo; quia certè ex corporibus corpora non generantur. Multū autem nec Naturæ principia, neque sopho- rum Cabalas intelligentes, in metallis, & mineris vanè occupantur, Sapientum men- tem ignorantes, qui dicunt, quòd tamen oporteat primas radices quærere minerales, & simplices Truncum sumunt, & locò se- minis, corpus accipiunt, ut ait Sendivogius Tractat. 6. sui Novi Luminis. Hinc addit Artephius in sua Clavis Sapientiae cap. 2. Tom. I. B. citat. pag. 505. 2. Col. *Preparemus ergo radicem, donec perveniamus ad ramos: Pri- ma enim Radix mineralis, non autem Trun- cus, est sumenda: causa tamen quare mul- ti in hoc decipiuntur, est, quia ipsi conside- raverunt naturas corporum mineralium su- perficietius; sed si perspexissent secreta Na- turæ in profundo, quomodo nempè metalla sine producta, nunquam in tales incidenter er-*

*ores, & cæt.* Quid ergò lucidiùs? ut no-  
scamus, quòd primum naturale metallorum  
sperma, vera Radix in hac arte inquirendum  
sit, quòd Natura ad Metalla progignenda uti-  
tur, cùm ipsam imitari debeamus.

Hæc igitur prima vera metallorum Radix,  
est spiritus quidam subtilissimus mercurialis  
universalis valdè igneus, summèque volatilis,  
ex aëre proveniens; & aqua sicca manus non  
madefaciens, id est Sal Naturæ Centrale sulphu-  
reū mercuriale duplex animatum, alcalicum,  
olympicum, amarum, atque fætidum fixum,  
ambo in unica magnesia nostra universali se-  
pulta. Ut Sendi. Tract. 3. Sui Novi Luminis,  
prædictam duplē primam, proximāmque  
metallorum, Philosophorūmque materiam,  
itā quamvis sub aliis vocalibus profundè de-  
scripsit. Sed quia sal hoc Naturæ prædictum est  
fusile, ac solubile & sapore fætidum men-  
struum quoque solubile fætens, & Affa fætida  
Hermeticè nuncupatur, ac spiritus men-  
struum solitivum dicitur. Quòd sal, sicuti ani-  
mam rubram in se contineat occultam, quæ  
est tinctura aurea fixissima, itā sunt tria, scili-  
cet, spiritus, anima, & Corpus, quæ sunt tria  
primordialia Naturæ & Artis principia, ni-  
mirūm, sal, sulphur, & mercurius. Nam  
spiritus dicitur mercurius; & anima salis,  
sulphur Naturæ rubrum appellatur, atque sal.

ful-

sulphur, album nuncupatur, quæ sunt duæ tin-  
cturæ nostræ, alba scilicet, & rubra. Et  
Mercurius est medium binas indè illas tin-  
cturas sulphureas conjungendi, seu matri-  
monificandi, ut ait Maria Prophetissa, quæ  
duæ tincturæ ab ipsa duæ Gummæ vocantur,  
quia sunt reverâ gummosæ. Et ulterius lu-  
cidiùs hoc artificium declarabimus.

Quòd sal gummosum duplex animatum,  
exteriùs album, interiùs verò rubrum, quia  
sulphur seu semen Argenteum, & sulphur,  
vel sperma aureum in se continet, itaque  
corpus solare, & lunare à sapientibus  
bus nuncupatur. Qua de causa Sophi quo-  
que dixerunt, quòd Lapis eorum ex sole,  
luna, & mercurio sit compositus. Et ani-  
ma salis fixissima ab ipsis metaphorice, ani-  
ma metallica, & anima artis, aurum, & au-  
ripigmentum, & cæt. appellatur, ut inferiùs  
demonstrabimus, & Senior aperte declarat,

Cùm quibus tribus præfatis principiis  
diù depuratis, sublimatis, ac simul sub-  
indè indivisibiliter reconiunctis, denique  
decoctis & coagulatis, à Natura in visceribus  
terræ attractis, miroque artificiō élaboratis,  
juxta terræ matricis recipientis, seu loci pu-  
rioris vel impioris naturam, sulphurisque  
plus vel minus depurati maturationem,  
ac digestionem, diversa generantur metal-  
la;

Ia ; Unde nos ita Naturam imitantes eadem materia, eadēmque methodō super terram utimur, & metalla producimus, scilicet perficimus, ac ita verè radices præparamus minerales, & ex spermate auri, aurum conficimus, sive ex metallis spiritualibus, atque per metallū spermatica, metalla exaltamus, ( non autem generamus, quia hoc Naturæ tantum pertinet ) sicuti ex spermate Bovis, Hominis, Lupi, & cæt. Homo, Bos, lupus generantur, & multiplicantur. Non autem ex corporibus metallicis mortuis, uti Pseudo-Chymici putant, quia hoc nec ipsa Natura facere potest. Et hæc est ars nostra, & ex plumbō aurum facimus, sive cuprum in aurum perficimus, & ita ex metallis, metalla quoque producimus. &c.

Qui spiritus, seti Mercurius universalis prædictus, est ignis ille quoque noster naturalis, tam Chymicis vulgaribus occultus, & est fæmina lapidis, & dicitur quoque Luna, quamvis pars salis externa quādōque etiam Luna vocetur, inīo non nunquam idem sal etiam luna dicitur : & quia tot nominibus sal hoc à Philosophis nuncupatur, addunt Philosophi - - - Dicitur hac Luna nominibus omnibus una. Ac anima salis, seu sulphur Naturæ rubrum internum, Sol appellatur ; secundūm verò circum-

cum-

cumstantias adjacentes facile prædicta æquivalēt voca percipiuntur. Corpus autem integrum ut plurimū univocè pro masculo & auro sumitur. Et sicut est duplex animatum, ac duo sulphura tingentia simul conjuncta, hoc est Corpus solare & lunare sapientum prædictum, duo quoque lapides, vel duo sales, seu duæ gummæ etiam dicuntur. Hinc Sophus Poëta cecinit :

*Ambo sumus lapides, una sumus, ambo jacemus.*

Propterea sal hoc duplex Hermaphroditum, cùm prædicta duo semina solificum & lunificum in se contineat, itaque aurum & argentum, sive solem ac lunam eorum illud vocarunt sapientes, nec aliud aurum, sive argentum in eorum scriptis intellexerunt Philosophi, ut inferiùs ex Gebro, Lullio, & cæt. evidentissimè probabimus, ita ut suprà clarissimè testantibus, &c.

Quod Corpus Physicum vera species, Radixque metallica, cùm sit alcalicum, ut illud in primam materiam, seu in primum naturale sperma metallorum oleaginosum incremabile ac irreducibile deduci queat, necessariò spiritu quoque acidō indigemus in arte. qui spiritus acidus, acetum acerrimum, & aquila nostra etiam nuncupatur, & est ignis ille contra naturam tam in Operenecessarius, Chemicolis penitus ignotus, qui

B 4

Cor-

Corpus in spiritum dedit, & Corpus est aurum nostrum.

Itaque dicit Aristoteles: *Quod species metallorum transmutari non possint, nisi reducantur in primam spermaticam seu vaporosam materiam.* Et sal hoc est prima species, prima Radix, ac primordiale sperma coagulatum metallorum, propterea iterum radicaliter aquâ sui generis in vaporem reducendum est, ac in primam reducendum materiam, quod mediante acetô prædicto Philosophico, seu aquilâ nostra fit, quæ autem è contra radicalis metallorum vulgi solutio absolutè fieri nequit, ut inferius ex omnibus Philosophis comprobabimus, nimirum in primum vaporem irreducibile illa deducere, quod est impossibile, in qua radicali metallorum solutione frustrà Chemicolæ versantur, ut ait Sendivogius Tractat. 4. sui Novi Luminis, & cæt. Ergò Aristoteles de nostra prima specie metallica, auroque nostrô vivo intellexit, &c.

De quo igne contra naturam prædicto, scilicet acetô nostrô, quod Corpus in spiritum solvendo dedit, legitur in Annotationibus Nicolai Flammelli Tom. 2. B. C. pag. 355. erga finem 1. Col., ex Rosario: *Aqua nostra est fortior igne, quia facit de Corpore merum spiritum, quod ignis facere*

B6-

nequit. Et ulterius addit: pag. 356. ex Clangore Buccinæ, 1. Col. In Aqua Philosophorum latet spiritus quintæ essentia, cuius solius est virtus magistraliter corrumpere, & in primam materiam Corpora transformare, & cæt.

Ethoc est menstruum universale Sophorum tamen in orbe à Sophistis frustrâ quæsitus. Unde legitur ex Seniore Tom. 2. B. C. pag. 221. 1. Col. *Dixit Hermes, ignis Philosophorum, quem tibi monstravimus, est aqua eorum, & est ignis, & non ignis &c.* Et hic est Ignis noster tamen à Chemistis designatus, qui dicitur etiam vas Naturæ, uterus matris, Fimus equinus, &c. Quamvis alium ignem contra naturam habeamus in arte, qui, ut ait Artephius, aliunde sumitur, quam à materia, & est humidus, Aëreus, mineralis, subterraneus, obscurus, & cæt. & sine sumptu in propria domo habere possumus, nempe cellare subterraneum, in quo sal solvitur, quoque & depuratur, sed non radicaliter ut in aceto, quod acetum est primarius noster verè ignis contra naturam, sine quo nil fieri potest in magisterio hujus artis. Sed in cellare abbreviatur tempus. Hinc ait Lullius in 2. Parte sui Testam. Novissimi cap. 19. Pone materiam tuam ad dissolvendum in loco digestionis in fossa, quæ

B 5

sen-

sentit de Natura busonum, scilicet in cella-  
re humido, &c.

Unde Sophi sapienter excogitantes, quo-  
modò hoc fieri potest ad illum prædictum  
spiritum igneum purissimum cælestem obti-  
nendum, itaque cum illo chaotico virgineo  
fluido Olympico subiecto, vinum Philoso-  
phicum confecerunt; etenim ex vino benè  
fermentato, facile spiritus indè extrahi po-  
test. Et hòc modò ex eo spiritum univer-  
salem purissimum eduxerunt, qui dicitur e-  
tiam aqua ardens, aqua vitæ, succus Luna-  
riæ, mercurius & cæt. Deinde partem illius  
vini in acetum fortissimum maximò cum in-  
geniò ac difficultate deductum, spiritum  
quoque acidum obtainuerunt, qui vocatur  
etiam acetum acerrimum, succus raphani,  
aqua mali granati, aqua fortis, menstruum  
solutivum, & cæt. De quo vide Querceta-  
num in Tetrad. ac de nominibus prædictis  
ipsi impositis, vide Annotation. Nicolai Flam-  
mell. Tom. 2. B. C. ex Gebero pag. 355. i. Col.  
ac menstruum universale nuncupatur. Un-  
dè prædictâ methodò ambos spiritus verè ratum, & apertum, iterùm cum spiritu vo-  
igneos ex illo chaote mediante vino facile latili seu igne naturæ prædicto similitè mul-  
extraxerunt, & ignem Naturæ atque con-  
tra naturam in hac arte summe necessarios

S.

Sophi obtainuerunt; qui ambo sunt ignes &  
mercurii nostri.

Cum quo spiritu acido seu igne contra  
naturam primò sal illud Alcalicum sèpè sol-  
vendo, & congelando, imbibendo & eva-  
porando, denique in oleum rubrum incom-  
bustibile Corpus deduxerunt, qui spiritus  
aceti extrahit animam à corpore, & tinge-  
tur ut sanguis, itaque ab hac operatione sua e-  
stest. Tiam aqua prima, & aqua rubra, quamvis sit  
alba, mercurius rubeus, & cæt. vocatur. De  
qua veritate vide Allegoriam super Turbam,  
Distinction. 3. Tom. I. B. pag. 470. sive Clanc-  
gorem Buccinæ Tom. 2. dictæ B. C. pag. 159.  
2. Col. ex Lullio. Ac iste spiritus post im-  
bitiones, in qualibet oëtidauna levissima e-  
vaporatione partem ipsius subtiliorem tan-  
tummodò in corpore relinquit, & ibi secum  
figitur, ac totum residuum, sicuti aqua fon-  
tis insipida per tepidissimum calorem evapo-  
rando dimittit, ut in citat. Distinction. 3.  
Allegor. super Turbam lucidè declaratur, &  
quod reverè omnia Corpora solvit, cum sit Lullius pluribus in capitibus & cæteri hoc  
acuatum, & ita meritò ignis contra naturam, scripserunt.

Inde cum sal sit benè resolutum, satu-  
dè prædictâ methodò ambos spiritus verè ratum, & apertum, iterùm cum spiritu vo-  
igneos ex illo chaote mediante vino facile latili seu igne naturæ prædicto similitè mul-  
titis vicibus solutionem & congelationem, im-  
bibitionem & evaporationem, ut suprà re-  
petit.

petendo, simul facile Corpus cum spiritu re-  
conjunixerunt. Hinc ait Basilius Valentinus  
Tom. 2. B. post suas 12. Claves, in suis Ryth-  
mis, de prima Lapidis materia, pag. 421.  
*Corpus, Anima, & Spiritus in duobus exi-  
stunt : ex quibus tota res procedit : Procedit  
autem ex uno, & res una : volatile & fi-  
xum simul colligata, &c.* Unde vide Bo-

nellum in Turba, Sermon. 37. & cum prædi-  
catis combina, &c.

Nunc ergò intelliges Avicennæ verba  
dicentis, ut Tom. 1. B. pag. 633. in fine 2.  
Col. ad filium suum Aboalum: *Hoc opus per Terram (nempè spiritus super Corpus)  
nihil aliud est, quam Aqua à Terra extractio,  
ac ejusdem Aqua super terram suam redu-  
ctio.* Quæ nihil aliud significant, nisi, ut su-  
præ dictum est, solvere, & congelare, im-  
bibere, & exsiccare, seu evaporare, & cæt.  
donec & cæt. ut quoque dixit Morienus, &  
vide Isaacc. Holland. in suo Opere miner-  
Lib. 2. cap. 111. & 112. &c.

Propterea spiritus volatilis aqua etiam  
secunda vocatur, & aqua alba, seu fumus  
& mercurius albus dicitur, quia Corpus  
per acetum, seu aquam primam antea rubi-  
ficatum, seu Latonem nostrum rubrum, in-  
dè dealbat, volatilizat, & secum conjungi-  
tur. Quæ duæ aquæ, seu spiritus prædicti  
etiam oleum solis, vel aqua solaris prima a-

cida nuncupatur, ac oleum lunæ, vel aqua  
lunarum, & aër secundus volatilis appellatur,  
ut inferiùs ex Philosophis demonstrabimus.  
Hinc ob nominum multitudinem Sophistæ,  
ac inexperti hallucinantur, & nihil intelli-  
gere possunt.

Unde de præfatis imbibitionibus, & e-  
vaporationibus, solutionibus, & congelatio-  
nibus in hoc opere peragendis, inquit Gui-  
do de Montanor in Præloquio suæ Scholæ  
Philosophorum, Tom. 2. B. pag. 137. 2.  
Col. Toties ergò reiterandum est Cælum su-  
nil aliud est, quam Aqua à Terra extractio,  
donec Terra fiat celestis & spiritualis, &  
Cælam fiat terrestre, & figuratur, seu conjun-  
ctio. Quæ nihil aliud significant, nisi, ut su-  
gatur cum Terra sua, tunc completum est  
primum Opus. Et hoc sciendum est, quod  
cum Corpus sit grossum & fixum, & spiritus  
sit volatilis & subtilis, universaliter per-  
misci non possunt, nisi primo Corpus ( per  
acetum ) in tantum subtilizetur à spiritu,  
ut ipsum Corpus eidem spiritui in subtilitate  
equipolleat, & tunc sit mixtio talis, quam  
ignis nec separare, nec superare potest, se-  
per mille annos continuè in ipsum ageret,  
& cat. Et vide Tractat. Gloria Mundi Vol.  
6. Theatri Chymici pag. 516. & sapientè  
combina, &c. Et hæc est vera salis præpara-  
tio, &c. Hinc Job. cap. 41. ait: *Tunc u-*

*na uni conjugitur, una alteri adhæredit, & tenentes se, nequaquam serabuntur.*

Propterea, quod hic spiritus sit Draco dicitur, qui cum sua cauda caput suum devorat, quapropter sal, quod est cauda, quia ultimò loco ex chaotis cineribus eruitur, spiritum absorbit, & secum figit, & retinet, qui spiritus est caput, quia primò extrahitur. Unde Senior inquit, ut Tom. 2. B. in fine pag. 232. *Draco est spiritus, & cauda sal ejus.* Hinc ait Hermes, quod fæmina alata volare vellet, sed masculus alis carens retinet illam à volatu, & secum in carcere illam permanere cogit, &c.

Qua de causa antea necesse est Corpus hoc à suis albis fæcibus terreis fusionem tollentibus extremè, depurare, quibus abundant, adeò ut purissimum Astrum Salis obtineamus (contra Pontanicam insaniam & ignorantiam) primò cum aqua communī distillata sæpè sæpiùs solvendo & congelando, filtrando, & triturando, & cæt. ut Isaccus Hollandus in suo Opere minerali pluribus in capitibus docet, & præsertim Lib. 1. cap. 5. & cap. 126. & Lib. 2. cap. 123. & cæt.

Hinc Rupecissa in sua Practica, Tractatu de Sale, Tom. 2. B. pag. 83. postquam multas suas narraverit virtutes, indè concludit, quod, qui suam radicalem solutionem sci-

sciverit, tunc erit elevatus suprà nostrum secretum occultum, quod est Lapis Sapientum, & cæt. &c. Quod Sal deindè Super laminam vitream, si velis, in cellare humido ad solvendum etiam collocare poteris, ac iterum indè filtrare, & exsiccare, &c. postea cum spiritu aceti prædicti iterum multis vicibus solvendo & congelando repeatas, donec purissimam suam medium tantummodo substantiam habeas, ac postea cùm sal in filtro nullas amplius fæces relinquat, tum imbibitiones incipere poteris, ac toties humectando & evaporando reitera, donec in oleum rubro-obscurum in fundo remaneat,

ac semper in hoc vase primum solutionis ore debes, & in imbitio dosim semper observa,



vitreo hoc pus perage-nibus hanc nimirūm in una libra 12. unciarum de dicto Corpore benè mundato in qualibet imbibitione medium unciam spiritū aceti superinfundas donec sit ut pasta tenuis, vel minùs, secundùm quod satis esse videris. Antea verò in salis depuratione acetum ad libitum ei superponere poteris, ut satis supereminat, adeò ut postea solutum illud filtrare queas.

Hinc addit Guido de Montanor loco suprà citat. in Præloquio pag. 135. 1. Col. Et dicimus tibi, quod primò sulphureitates

comps.

combustiva & combustibles ( ex Tartaro vi-  
ni calcinato videlicet ) per beneficium cal-  
cinationis separantur , & de toto annihi-  
lentur ab igne ; & Corpus subinde ( nempè Sal )  
commiuatur , multumque subtilizetur per  
talem digestionem predictam , nimirum sol-  
vendo , filtrando , & congelando igne tepido  
digestionis , &c. Et ambae Aquæ ( nota am-  
bæ Aquæ ) depurentur ab illorum sordibus  
seu Phlegmate cum repetitis distillationibus ,  
ut in naturam aëris vertantur . Deinde  
conjunctionem masculi cum femina , scilicet  
Corporis cum spiritu , seu volatilis cum fixo ,  
fasere poteris , ut inter se gignant filium i-  
gnis , qui tantus est amore omnium Philoso-  
phorum &c. &c. Et vide Concordantiam  
penes Lullium in fine cap. 63. Tom. I. B.  
C. pag. 746. I. Col. &c.

De qua Corporis extrema depuratione ,  
Tartarique calcinatione , ut suprà dixit Gui-  
do , vide simile documentum & concordan-  
tiam ex Gebro Tom. I. B. pag. 560. cap. de  
Aceti Acerrimi præparatione , &c. Atque  
Isaacum in suo opere minerali pluribus in  
capitibus , &c.

Ac de dubus Aquis primâ & secunda  
prædictis vide etiam præcitatum Guidonem  
Tom. 2. in fine primi Gradûs pag. 138. 2.  
Col. Et de Corpore perfecto , sive auro

vel fermento , quomodo intelligatur , ubi  
Chymici vulgares decipiuntur , ibidem ex  
Alberto Magno citato , sedulâ fronte per-  
legas , ubi videbis , quod nîl aliud sit , quam  
hoc Sal ad perfectionem per aquam primam ,  
scilicet per acetum redactum . Aclucidiùs  
ita declaratum , vide etiam ibidem in suo  
citato Præloquio , pag. 136. 2. Col. ubi le-  
gitur : Item quando autem de Fermento , vel  
Corpore perfecto , nîl aliud semper intelligas ,  
quam Corpus hoc , nempè Sal , ut suprà , per-  
fectissime mundatum . Et hinc elucet , quod  
Corpus hoc nullum sit metallum , ut simpli-  
ces metalla sumentes sibi imaginantur ; sed  
Sal ex eodem Subjecto Tartarizato erutum ,  
ac ejusdem generis cum spiritu , itaque Lul-  
lius pluribus in locis , ut inferius demon-  
strabimus , scripsit : Calcina feces vini seis-  
tartarum ejus , extrahe Sal , & imbibe it-  
jud cum sua Aqua vita rectificata , & cat.  
Cum verum Corpus , verumque Lapidis Fer-  
mentum sit eadem materia nostra proxima  
verè fermentabilis , sicuti Bonus Panis ex  
propria sua Pasta fermentatur , ut ait Her-  
mes : De qua indisputabili veritate , vide  
ipsum Guidonem loc. suprà citat. pag. 144.  
in Nono Grad. à principio capituli usque ad  
finem , sive Paracelsum in suis Congerii  
Chymia cap. 8. & in fine cap. 7. in eodem  
vol.

Tom. 2. B. C. pag. 434. 1. Col. Vel Clangorem Buccinæ ibidem pag. 160. erga finem 1. Col. & cæt. sine Riplæum in 9. Porta, & cæt. &c.

De quibus indè præfatis octiduanis imbibitionibus multis vicibus repetendis, solvendo scilicet, triturando & congelando, donec & cæt. ut suprà perlegisti, vide Concordantiam penès Arnoldum Villanovanum in suo Thesauro Thesaurorum cap. 15. Tom. 1. dictæ B. C. pag. 670. in fine 1. Col. ubi incipit: *Funde ergo primò Aquam per vices super Terram conterendo, & cæt.* Sive Avicenam cap. 5. similitè Tom. 1. B. pag. 629. in fine 2. Col. ubi dicit: *Fnde igitur Aquam super Terram suam temperate, &c.* Vel Aristolem in sua Practica Tom. 1. prædict. B. pag. 661. 1. Col. ubi inquit: *Pone ergo in vase tuo Terram calcinatam, ac ei superinfunde Aquam rectificatam, &c.* seu Vol. 6. Theatr. Chymic. in Tractat. Gloria Mundi pag. 516. Atque Turbam Philosophorum, sermon. 38. ex Effiso Tom. 1. B. pag. 457. Ac lucidiùs declarata, vide Primam Partem Libr. cuius Titul. est: Enarratio methodica trium Gebri medicinarum. Vel Fridericum Gualdum in suis Epistolis in Critica mortis, &c. Et in hac Salis præparatione tota Ars nostra consistit, sed est

O.

Opus verè valdè prolixum, ac tædiosum propter multas repetendas solutiones & conge-  
lationes peragendas. Undè de hac prima  
tām in Opere Physico necessaria præparatio-  
ne, præcitatos Congruentes Authores sedu-  
lō perlegas, si illam verè addiscere cupias.  
Et nota, quod omnes in hoc solutionis O-  
pere in unum conveniant, & jubeant, quod  
hebdomatim leniter decoquamus, & cæt.  
Imò Lullius in sua Practica Tom. 1. B. cap.  
20. pag. 769. 2. Col. subjungit: *Fili, hac  
præparatio valet omne Aurum, &c.* - -  
& ulteriùs ibidem addit *Et ibi facies enu-  
triri in pascendo modicâ cum Aqua primò,  
& postea cum majori, sicut Natura te do-  
cebit. Et non sis lentus, neq; piger de im-  
bibendo Terram de quindecim in quindecim  
diebus. secundum quod videris, &c.* Et nec  
te tædeat hoc Opus multis vicibus reiterara-  
donec, &c. Et ibi videbis tot & tantos co-  
lores, sicuti in ultima decoctione, de quibus  
autem non cures, &c. at in hac tædiosa diutur-  
na Corporis præparatione habeas patientiam,  
donec ad Terram albam foliatam pervenias,  
& cæt. ut inferiùs lucide docebimus. Quæ  
Terra foliata est Corpus perfectum nostrum,  
ut ait Senior Tom. 2. B. pag. 221. 2. Col.  
& cæt.

Hoc est, post quamlibet imbibitionem,  
levi-

C 2

levissimò cinerum calore superfluam aquosam humiditatem evaporare, seu distillare debes, ut spiritus subtilis, qui dicitur aér, in Corpore figatur, & totum Phlegma evanescat, & ità Corpus eodem tempore gradatim solvit, ac denique fit volatile ac spirituale, ut suprà ex Guidone audivisti, & trigesima tantùm pars spiritùs subtilissima aërea ibi figitur in Terra sua, & totum reliquum aquosum, ut Aqua Fontis insipidum in fumum per levissimam evaporationem avolat. Itaque saltèm non ante octiduum hæc potest fieri evaparatio, alioquin spiritus subtilis unâ cum Phlegmate, si calor esset nimiùs, avolaret in auras, & solutionis Opus nunquam perficeretur. De qua operatione ubique in Annotationibus Nicolai Flammelli, ex multis ibi citatis Philosophis, clarissimè tractatur. Undè cùm Opus hoc primæ salis solutionis, atque præparationis tot vicibus repetendum, antequām Sal perfectè radicaliter in primum vaporem spermaticum sit resolutum, sit tām tædiosum, atque prolixum, meritò Herculeus labor vocatur, de quo vide Philaletham in suo Introitu Aperto cap. 7. & cap. 8. Tom. 2. B. C. pag. 663. & 664. sive Paracelsum in suo Processu Chymico Vol. 4. Theatri Chymici,

pag.

pag. 359. Et Seniorem Tom. 2. B. in fine  
pag. 224. 1. col. & ultrà, & cæt. &c,

Et ità facimus, ut Sophi docent, fixum nempè volatile, & volatile fixum, & spiritum, qui erat superiùs, fixum facimus sicut corpus, quod erat inferiùs, & è converso, corpus fixum, quòd erat inferiùs, volatile efficimus sicut id, quod erat superius, ut ità figuratè Pater Hermes nos docuit, &c.

Et in hac prima Corporis seu Lapidis nostri solutione multi quoque apparent colores, ut in ultima decoctione. Itaque Sophi dixerunt: Bis nigrescit, bis citrenescit, bis albescit, & rubescit, & cæt.

Nunc ergò intelliges, quare dicant Sapientes & inter cæteros Avicenna, Tom. I. B. C. cap. 3. pag. 628. 2. col. atque Richardus Anglicus cap. 18. Tom. 2. ejusdem B. C. pag. 274. 2. col. *Quòd Primum incipere sit solvere Lapidem in suam primam materiam.* Et modò non ignoras, quòd Lapis, hoc Sal significet, cùm omne sal per similitudinem, Lapis vocetur, & ab ipso Sale, Lapis noster Nomen assumpsit, & ita dicitur, quod sal metallorum sit Lapis Philosophorum, cùm hoc sal sit verum unicumque auri argenteique sperma, ac prima metallorum scaturigo, tām in orbe per tot secula frustrè quæsitus, & à me unicè mo-

C 3

dò

dò detectum. Unde legitur in Allegoria Super Turbam Distinction. 12. Tom. 1. B. pag. 474. 2. col. *Corpus nostrum Sophi Lapii comparaverunt, spiritum verò igni, & cæt.* Et suprà perlegisti, quòd Lullius aperte dixerit, quòd Sal hoc Astrale sit Corpus & **Lapis** naturalis Philosophorum. Unde clare vides, quòd Corpus, Fermentum, Aurum, Plumbum, & cæt. nîl aliud significant, quam unicum hoc Sal, seu metallum nostrum vivum, non autem metallum mortuum vulgi? quare si esset metallum vulgi, non inciperetur Opus cum solutione, ut suprà audivisti, sed cum calcinatione? ut egregiè sic explicat Laur. Ventur. Venet. cap. 25. & cæt.

Lapide ergò, scilicet Sale, seu Corpus perfecto, vel Aurò nostrō Astrali, per acetum nostrum, seu Aquilam nostram, vel Ignem nostrum contra naturam primò benè soluto, & ad perfectionem deducto, sive à fæcibus depuratō, donec post 70. & ultrà solutiones & coagulationes amplius congeari nollit; sed in Oleum rubro - nigrum densum remaneat, quod tunc est Laton noster rubeus, totiès à Philosophis ubique descriptus, dicentes, quòd Latonem rubrum dealbemus, & indè libros comburamus, quia nunc aliò non indigemus labore; quod cog-

A2-

noscere poteris, cùm aqua in evaporationibus evanescens, non sit amplius insipida; sed acidula ut priùs, tunc signum est, quòd sal sit satís saturatum, imprægnatum, apertum atque benè resolutum, & ad spiritum indè volatilem suscipiendum habitatum.

Tum incipere debes novas imbibitiones cum aqua secunda, seu spiritu volatili, ut suprà cum spiritu aceti fecisti, totièsque repetendo, ac solutiones & congelationes multis vicibus reiterando, donec videris suprà illud oleum rubrum salis albam cuticulam natantem valdè porosam, quæ terra albâ foliata vocatur, ac prima Latonis dealbatio dicitur, ac oleum rubrum, seu animam salis, quæ est tintura aurea soluta fixissima, in fundo remanentem respicies; tum separa corpus disanimatum prædictum supernatans, seu terram illam foliatam ab anima in fundo solutâ, ac iterum guttatim triturando redde Corpori Animam suam, antea verò modicō cum spiritu volatili commixta, atque per chartam bibulam benè filtrata; & hoc est, quod Sophi dixerunt: *Seminare Aurum in Terram albam foliatam.* nimilium Aurum nostrum, seu sulphur aureum prædictum, non autem aurum vulgi, ut Chemicolæ putant? ut apertis verbis Senior, Tom. 2. pag. 220. & pag. 222. 2.col.

C 4

At

Atque Guido de Montanor ibidem Tom. 2. B. C. pag. 143. in septimo Gradu sua Scalæ, seu Aristoteles in sua Practica Tom. 1. ejusdem B. C. pag 661. 2. col. & cæt. ubique declarant, &c.

Hâc operatione peractâ infunde iterum Super corpus reanimatum tres partes spiritus volatilis ut itâ major volatilis pars minorem fixam superet, & secum in aërem rapiat, trahat, & sublimet, & hæc est vera sublimatio nostra, ac Infans noster in aëre natus, ut ait Ripley in sua Octava Porta, quousque in aquam suam iterum revertatur spermaticam, & una cum anima, & spiritu, Corporéque resoluto atque volatilizato in unum liquorem rubrum omnia commisceantur, quod est Elixir nostrum, seu mercurius duplicatus, atque calcificatus, ex solvente & soluto compositus. Ut ibidem Aristoteles locô suprà citatô, itâ prædictam operationem descriptis, cùm ulteriùs dicat: *Reduc Spiritus ad Corpus, & sublima illud, & erit rubrum, clarum & lucivum, & cæt.* Et à Basilio Valentino Tom. 2. dictæ B. C. pag. 422. 2. col. Sermon. de Sulphure, in fine, itâ lucidiùs explicatur, dicente: *Hoc postea solutum Corpus, spiritus vini (Philosophici) sublimatur rubeum instar sanguinis, & vocatur Aurum potabile nostrum, in quo nulla reductio alicujus Cor-*

pe-

poris reperitur, &c. quapropter tunc erit Liquor ex Anima, Corpore & Spiritu commixtus coloris veri Rubini. Undè eecinit Sophus:

*Quæq; duo fuerant, unum quoq; Corpore fiant.*

Ac Senior in eodem Tom. 2. pag. 226. in sua Parabola, &c. 1. col. subjungit: *Deinde recipimus illud juscum sulphureum, & decoquimus in vase vitreo, & cæt. & erit sicut Rubinus, & ponimus in aquam suam, & iterum, &c.* Et hoc est, quando Sophi dicunt: *Ex Aere pars una, & ex Aqua tres partes accipe.* Vèl, *Tres partes mercurii cum una auri parte amalgama, & sublima sulphur.* Sive, ut ait Cadmon in alio Turbæ exemplari, Tom. 1. B. pag. 489. 1. col. *De sincero Corpore partem unam, & tres de Aere sumas.* Vèl, ut Ripley in 4. Porta inquiens: *Tres Partes Viri, ac novem sue Conjugis sumas, & cæt.*

Et vide quoque ipsum Ripleyum in prima Porta, ex Rogerio Baccone, qui dicit, quod multas insomnes duxerit noctes antequâm hoc intellexisset mysterium, cùm in prædictis imbibitionibus tam modicò spiritu & conversò peragendis Philosophi loquantur. Quare, ut ait Job. cap. 28. *Hac Auri Scientia trahitur de occultis, neque tinctura mundissime absque eo sulphure componuntur, &c.*

D.

Deinde iterum evapora sensim, seu suavitè distilla superfluum, donec in fundo oleum salis unâ cum Anima & spiritu congelatum aurei coloris, ac variis ceruleis floribus ac lineis ad viridem tendentibus, albisque maculis venatum respicias, & ceter. tunc tertiam spiritus volatilis rectificatissimi partem ad salis liquati proportionem iterum ei oleo congelato superinfundas, ac propè calorem retineas, ubi statim oleum unâ cum illa tertia spiritus parte se commiscebit, at non amplius erit rubrum, sed aurei coloris, & valde lucidum. De quo subinde aureo lucidoque liquore, qui Lac quoque Virginis vocatur, unciam unam, vel parum plus in qualibet Phiala longi colli imponas, nec amplius, quia si plus esset, nec per trienium ultima decoctio, seu Lapidis fixio terminaretur. De qua dosi inter cæreros vide Philaletham in suo Introitu aperto cap. 17. Tom. 2. B. pag 669. 2. col. sive instructio nem de Arbore solari vol. 6. Theatr. chymic. cap. 9. Quem Anonymum Authorem Gallum loc. cit. pag. 166. sedulò spiritu pluriès perlegas, quia revera omnia sincerè descripsit. Est autem aliis Anonymus, si illum invenire scias, qui multa plura aperte detexit, & ego ipsum perlegendendo miratus sum. Et vide Joannem Tackium in suo O-

pe.

pere Tripartito, cuius titulus est: *Triplex Phasis Sophicus*. In quibus, quæ hic scribere nequeo, ibi lucide reperies. Ac inde consulo, ut Laurent. Ventur. Venetum sœpè perlegas, & Lullum, sive Christophorum Parisinum, ubi non tantum omnia, quæ dixi, confirmata videbis, sed etiam tua metalla ac mineralia certè relinques, cum ibi nisi sis durissimæ cervicis, veram universalem concipies materiam ex Elementis immediatè productam, & cæt.

Ac in fine collum Phialæ sigillare debes, quia si forte tu nescias, hoc quoque te docebo. Habeas ergo Ollam terream non vitreatam, in cuius fundo foramen fascias satis amplum, ac aliud simile foramen in ejus ventre conficias, ac subinde carbonibus benè ignitis ollam impleas, quam supra tres lateres in triangulari forma adaptatos Ollam revolvendo, os suum supra lateres imponas, & fac, ut aër infrà lateres intrare, ac agere possit; tum gradatim collum Phialæ propè calorem ex foramine ventris exeuntem approximabis, deinde gradatim in ventris foramine collum introducas, ac inde super vehementem flammarum intus semper revolvendo retineas, donec videris vitrum cedere, ac liquefieri: tunc forcipes ferreas in summitate rotundas, quibus mul-


ti ad crines crispandos utuntur, bene calidas præparatas habeas, & collum Phialæ in summitate revolvendo restringas. Tum statim sub cineribus calidis ibi in alia olla terrea supra quatuor lateres in altum commode impositâ cineribus calidis plena collum sepellias, adeò ut Phialæ venter super alios cineres non calidos inferius collocare & adaptare possis, ac ita relinquas, donec ex se frigescat. Et ecce causa quare in hac ultima Lapidis decoctione seu fixione Phialam habere debemus cum collo longo, ut facile Hermeticè illam sigillare queamus, &c.

Hoc Opere peracto, cùm Phialas in frigore retinueris, in fundo lapillos lucidissimos in morem Crystallii excretos videbis, qui tamen lapilli propè tepidum calorem statim iterum liquefient, ac unâ cum spiritu in unum se permiscebunt. De quibus Japillis vide Isaaccum Hollandum in suo Opere Minerali Lib. 2. capit. 127. & ultrà (quia postea spiritus corporisque inseparabilis conjunctio, post Caput corvi in Albedine in ultima Lapidis decoctione evenit)

Nonnulli verò post lapillos prædictos alias fecerunt subtilizationes, ut ibi loco citato docet Isaacus, vel per circulationem, ut Lullius, Parisinus, & cæt. scripserunt; sed cùm non sint positivè necessaria, nihil ad.

addam; nam ego alias indè non feci subtilizationes, neque circulationes, cùm videbam liquorem jam esse purissimum, ac limpidissimum, & tamen optimam habui Tinctoriam. Sed fac, quod velis, &c.

Tunc Furnum, sive Athanor ex Cupro, quod est melius, ita confectum habeas,



& super scutellam cum cineribus compressis littera C. tuas imponas Phialas littera B. ac inferius Lampadem adaptabis cum Lynchio ex Anima Junci Pallustris in plenilunio eot.

collecti confectō ac leni continuatō calore coque, & cave, ne ignis unquam moriatur; ubi post aliquot tempus plūs vel minus, materiam tuam rubro - nigram in fundo respicies, quæ nigredo usque ad albedinem atque conjunctionem perdurat, & Caput corvi vocatur. At ut verè verum dicam, non est nigra, ut multi scriperunt; sed sicuti sincerè hanc Lullius in 3. Distinctione Lib. Quintæ Essentiæ descripsit, ubi dicit: *Non arbitreris jam ipsam materiam tunc esse nigram sicuti atramentum? sed erit sicuti in colore aque mali grati, qui color obscurus est principium digestionis, & finis alterationis, & ceterum.* Et idem Lullius cap. 17. in Theoria sui Testamenti Tom. I. B. C. citat. pag. 718. 2. col. inquit: *Primus color est niger, & ille apparere incipit in fine digestionis, & durat usque ad finem, quando argentum vivum nostrum congelatum est, tunc in eo apparet color Albus, & ceterum.* Hoc est, donec spiritus sit exsiccatus, & unâ cum Corpore restrictus, ac in unum simul ambo indivisibiliter conjuncta, & tunc materia incipit albescere; quia calor agens in sicco generat albedinem, sicut antea in humido agendo generavit nigredinem.

Addit Arnoldus in sua Præctica Tom. I. B. C. pag. 685. 2. col. *Et nota, quod*

*lis*

*licet non appareat ad oculum in materia putrefacta nigredo, tamen non est curandum, quia pro certò secundum esse Naturæ, pellis est super nigredinem.*

Hinc Sendivogius in sua Epistol. 52. Tom. 2. dictæ B. pag. 514. inquit: *Alii volunt rubrum primum colorem, alii nigrum, & ceterum quæ tamen juxta præcedentia, & ceterum. verificantur, &c.*

Undè sicuti dixi, in fundo tantum est reverà materia nigra; ac supra est aliquod mixtum inter rubrum & obscurum, sicuti fuit in prima salis solutione; qua de causa multi de duobus Capitibus corvinis scripserunt. Qui rubro-niger color, ut diximus, diù verè perdurat, usque dum calor in sicco agere incipiat, & tum incipit Albedo, in qua Albedine multi apparent colores propter universalem spiritus & Corporis conjunctionem, quæ dicitur quoque Ecclipsis magna, seu Solis & Lunæ mirabilis desponsatio; donec ad perfectam inde lucidissimam deveniat Albedinem, quam Sophi Marmos corruscans vocarunt, & hæc est vera Latonis dealbatio, & tunc verè libros comburere possumus. Ac in fine in massam rubronigram, lucidam, frangibilem vertetur, & fixam. Tum gratias submissas Deo Largitori benignissimo agas, quia jam Lapis ad rursum

brum perfectus est. Sed habeas patientiam, quoniam hic multa tarditas jacet, &c. Et tūm, ut ait Job cap. 41. *Cor ejus indurabitur tanquam Lapis, & stringetur sicuti metalum, &c.* Sed frangibile.

De qua ultima prædicta decoctione, seu Lapidis fixione, vide Isaaccum Hollandum in suo Opere minerali Lib. I cap. 131. ubi clarissimè describitur; nam alii confusè illam demonstrarunt, ut inter ceteros Lullius in sua Practica cap. 22. Tom. I. B. C. pag. 771, 1. col. &c.

Tum exime materiam tuam frangibilem, ac in eodem simili vase vitro seu scutellā, in qua sal quoque ab initio præparasti, illam imponas, & cum acetō Philosophico distillato prædicto semper triturando, multis- que vicibus solvendo & congelando, itērūm, ut in Corporis præparatione peregisti opus repetendo perficies, donec materiam ad Butyri consistentiam deducas, & fluat sicut cera. Quòd tamen hoc ultimum incerationis Opus citò perficies; undē ne credas, quòd tam diuturnum petat tempus, si- cuti in primo solutionis opere demonstratum fuit? Tūm verò pro tribus partibus tui Lapidis fixi unam tantūm, imò medium, spiritus acetī partem omni vice ad illam ince-



rar;

randum, seu imbibendum capias, & si mi- nus sit, melius esset; ac indē suavitèr itērūm evapora, ac semper itā modicā cum spiritūs acetī dosi solvendo & congelando, diūque triturando, hoc Opus repeatas, do- nec fluat, & cæt. Et sic una pars illa, vel media spiritūs, citò cum Lapide figetur, non autem tota simul, sed pars subtilior aërea ignea vaporosa, ut suprà dictum est, & pars phlegmatica evanescet, & tunc ex aqua facies terram, & ex aëre ignem. Etenim memi- nisti eorum, quæ suprà diximus, scilicet, cùm ex terra aquam facere voluerimus, pro una parte Corporis fixi, tres partes spi- ritūs volatilis sumpsimus, & tūm major pars volatilis minorem fixi secum in aërem at- traxit, & sublimavit, & itā ex terra aquam & aërem fecimus. Nunc autem è conver- sò ex aqua terram facere volumus, itāque pro tribus partibus fixi, una pars volatis est sumenda, ut itā Gualdus in suis Epistolis in Critica mortis insertis benè quoque decla- ravit. De quo documento vide Isaaccum Hollandum in suo præcitato Opere minera- li Lib. I. cap. 38. & alibi, &c.

Et hæc est etiam multiplicatio nostra, quia semper, ut diximus, pars subtilior ace- ti figitur in Corpore, & crescit, quare mi- rabile nostrum acetum etiam vaporem ru-

D

brum

brum subtilissimum alcalicum invisibilem habet occultum sulphureum, qui facile cum sulphure Lapidis conjungitur. Hinc idem Isaaccus loc. suprà citat. Lib. I. cap. 124. inquit : *In Lapide nostro nulla est multiplicatio, quām ut frequenter ipsum acetō nostrō solvendo & congelando, subtilissimum, ac fusilem ut cera, & penetrantem illum efficias.* Nulla enim alia multiplicatio repetitur in Arte, quām eō pactō ipsum Lapidem extremè subtilem, ac penetrantem efficere ; & qui aliam multiplicationis viam querit, aut aliter putat, Artem nostram non inteligit, &c. Unde iterūm solve & conge la & c. et.

Addit Lullius in Præctica sui Testamenti cap. 30. Tom. I. B. C. prædictæ, pag 776. *Primus modus multiplicationis est, quod facias dissolvi Lapidem in Aquâ suâ mercuriali albâ vel rubrâ, de qua fuit ab initio in preparatione procreatus, & postea conge la, &c. et. iterūm, & c. Et ulterius ibidem subjungit : Modus autem multiplicationis est, quod dissolvas quamlibet ipsarum speciem singulariter in Aquâ suâ, postea per distillationem, seu evaporationem iterūm congelabis, & remanebit aqua in fundo fixa cum Terra sua, & c. Et hoc repetendo videlicet, ut suprà dictum est: Unde*

Lul-

Lullius dixit, quod dissolvatur quælibet species in aqua sua, nimirūm Lapis albus cum spiritu volatili, & Lapis rubeus cum spiritu aceti, quæ sunt duæ aquæ alba & rubra prædictæ. Ut ita similitè docet Arcephius de hac multiplicatione in suo Libello secreto, & cæteri omnes in hoc quoque conveniunt, nisi quod variatis cum nominibus illam descripserunt ; at nunc edoctus ubique similia reperies, jam intelliges, cùm nempè alii dicant: Solve illud rubrum, nem Lapidem absolutum rubrum, & congela cum aqua seu mercurio rubro, vel oleo Solari, & album cum aqua alba, mercurio albo, oleo Lunari, &c. cùm omnia fluida sint unum & idem, ut suprà declaravimus.

Lullius autem superiùs loco citat hanc spiritualem primariam, verāmque multiplicationem, cum alia corporali subinde mercuriō vulgi peragenda confudit, quam inferiùs docebimus. Verūm enim idem Lullius in sua Elucidatione Testamenti cap. 6. Tom. I. dictæ B. C. pag. 824. 2. col. sic lucidiū illam explicat, inquiens : Audi, & intellege, quod multiplicationis nostra nil aliud sit, quam nostri Operis primordialis compositi, in preparatione nempè peracti, reiteration. Hoc est, solvere, & congelare, ut in præparatione ab initio fecisti. Et cùm suprà dixerit :

D 2

rit: Dissolve Lapidem seu Medicinam cum mercurio albo, vel rubeo, secundum quod Lapis fuerit vel albus, vel rubeus, jam modò non nescis, quod mercurius albus, & aqua alba sit spiritus volatilis, & mercurius rubeus, & aqua rubra sit spiritus aceti. Unde Lullius hoc dixit, quia scire debes, quod in Opere seu Lapide albo non intret nisi album, & in Opere seu Lapide rubro, nisi rubrum. nimis, argentum, & spiritus volatilis, quæ est aqua alba in Lapide albo, & aurum, & spiritus aceti, qui dicitur aqua rubra, in Lapide rubro. De quo auro sive argento cum Lapide in fine colligandò, ulterius tractabimus, &c.

Unde nunc clarè vides, quod ubi verè Sophi veritatem doceant, omnes in unum tam antiqui, quam moderni, tam Latini, quam Arabes, &c. congruentes in omnibus, & per omnia convenient. Etenim omnes veri Adepti hanc unicam habuere viam, unicam materiam, unicum regimen, unicum opus, nisi quod nonnulli in salis præparatione breviorem adinvenerunt viam, & ita quandoque variata eorum inveniuntur documenta, sicuti quoque Particularia cum Universali intermiscuerunt, etenim habita hac Radice universali ex ea multa expululant Particularia, sine qua vero univer-

sa-

sali radice primâ agente in hac Arte omnia Chemicolarum Particularia falsa sunt. Benè quidem multa quoque Sophistica studiò ubique omnes intermiscuerunt, ne indignis pates fieret arcanum, qua de causa inexperti hallucinantur, quia rosas ex spinis feligere nesciunt. Alias, ubi Sophi verè convenient, jam hic vides, quod cum ordinatè eorum vera documenta per volumina dispersa, sint exposita, in omnibus & per omnia minutim convenient. Pseudo-Chymici autem, cum non intelligent nec principium, nec medium neque finem, certè prædicta hinc inde dispersa expisci nequeunt, & consequenter nihil comprehendere possunt, cum Sophi nihil ordinatè descripserint, sed ultima primis, primaque mediis undique confuderunt; & non nisi expertus in Arte eorum per volumina dispersas doctrinas recolligere, & intelligere potest, ut Gebèr, Arnoldus, & cæt. fiantur, & testantur.

Qua de causa absque perito magistro docente, nemo præsumat ad hanc scientiam pervenire: Unde gratias Deo agas, quia porrò simile sincerum tam lucidum exemplar, ubi omnia ordinatè sic exposita à me fidelièr descripta notasti, nunquam fuit nec erit in orbe, quapropter non omnes, me verè prudentiores, animum arcum posteris

D 3

pro-

propalandi habuere, quod ego jam senex si-  
ne ulla invidia, nè tanta desperdatur sci-  
entia, hic aperte detexi, & hoc feci, ne me-  
cum moriatur arcanum, sciens, quod alii ni-  
mis invidi nîl patefacere velint, ut ita po-  
steri & amici hâc quôque Cælesti Benedi-  
ctione frui queant, & miseris succurrere  
possint, & cæt.

Prima igitur multiplicatione spirituali  
peractâ, projice deindè unam ipsius multi-  
plicati Lapidis partem super 10, vel 20. quod  
est melius, partes auri purissimi in Crucibu-  
lo puréque liquati, & fac, ut una simul be-  
nè commisceantur. Quamvis alii, sicuti Ba-  
silius, & cæt. cum tribus vel quatuor tan-  
tum partibus auri unam Lapidis colligârunt,  
hoc autem non præjudicat, sufficit enim ut  
cum auro vulgi Lapis sit specificatus, undè  
fac, quod velis; ego autem dico, quod  
cum 20. partibus, ut vult Isaaccus, sit me-  
lius, vel saltem cum 10. ut Paracelsus, &  
cæt. Et ita quôque, si Lapidem album cu-  
pias, cum argento illum specificare debes.  
& cæt.

Deindè refrigerescere permittas. Tum  
accipe aliud benè mundum Crucibulum, in  
quo aurum illud Lapide permixtum im-  
ponas, liquefacito, ac ita in continuo fluxu  
nocte, dièque per triduum retineas, ut ita

103

totum in una stet continua liquefactione  
( & hoc est opus triduanum Mariæ Prophe-  
tissæ, de quo multi ignorantes diversimodè  
scripsérunt) deindè eximè materiam, de qua  
projicias unam partem super 50. vel 100.  
quôque si velis, partes Mercurii vulgi in  
Crucibulo celefacti, & remanebit in morem  
pulveris cinericii; de quo pulvere projice  
unam partem super 200. partes mercurii vul-  
gi, ut suprà fecisti, & iterùm cadet in pul-  
verem, & erit tota medicina. de qua me-  
dicina projice unam partem suprà 400. par-  
tes mercurii vulgi ut suprà, & hoc ita repe-  
tas, donec non amplius pulverescat; sed an-  
tequam metallizetur. cùm videris materiam  
tuam in massam frangibilem redactam; tum  
sumas illam massam, ac iterùm solve & con-  
gela cum spiritu aceti. ut suprà fecisti to-  
tiès, donec butyrescat, & super laminam cu-  
pream ignitam fluat ut cera, nullum faciat  
fumum, non strepit, & tingat: at si hæc  
signa non habeas, iterùm solve & congela,  
donec, & cæt. Indè ut commodius in pi-  
xide argentea, sive eburnea servare possis,  
tamdiu super cineres calidos retineas, do-  
nec indè in frigore videris, ut sicca rema-  
neat, adeò ut eam contundere queas, ac in  
pulverem triturando deducere valeas, &  
serva, quod ita prodigiosum projectionis

D 4

pul-

pulverem, thesaurumque incomparabilem hahebis, qui erit pulvis sicuti granatæ Bohemicæ trituræ, pulvis dico rubro - obscurus, & lucidus, & ad solem varios ostendit colores, valdè penetrans, quia est vapor ille prædictus, ità per longam decoctionem ad fixitatem deductus, qua de causa penetrat omne Corpus, & tingit, & quia in metallis imperfectis cum eorum puriori parte tantummodo se conjungit, ac impurum rejicit, ità metalla restringit, & ad auri pondus illa dedit. Qui pulvis in tepido calore, vel humido statim fluit, at in frigore subito congelatur, & cæt. itaque Paracelsus in pomo sui Gladii servavit, &c.

De qua ultima Corporali multiplicazione cum mercurio vulgi suprà descriptâ, vide Lullium in fine suæ Practicæ cap. 31. Tom. 1. B. C. pag. 776. sive Rupe-scissam Lib. Lucis cap. ultimo, Tom. 2. dictæ B. pag. 87. vel Avicennam Tom. 1. pag. 632. cap. 8. 2.col. seu Clangorem Buccinæ Tom. 2. pag. 164. in fine 2. col. & cæt.

Ac de prædicto necessario Opere Triduano, ad Lapidem aurô vulgi colligandum, seu specificandum, quæ specificatio, à non nullis fermentatio quoque Corporalis vocatur, vide Basilium Valentini, Tom. 2. B. pag. 421. in principio 2. col. Isaccum Hol-

lan-

landum in suo Opere minerali Lib. 1, cap. 85. & cap. 136. vel Avicennam cap. 8. Tom. 1. ejusdem B. C. pag. 632. 2. col. seu Rogerium Bacconem cap. 7. sui speculi Alchem. similit. Tom. 1. B. pag. 616. 2. col. Atque Patr. Jo Colleson Discipuli Basili, in sua Idæa perfecta Tom. 6. Theatri Chymici, in sua Praxi pag. 150. & cæt. &c.

At fortè dices: quomodo tot distillationes, incerationes, sublimationes, solutiones, & congelationes, calcinationes, & fixiones, & cæt. in unico simili vase vitro confici possunt? quod usque dum per tot sæcula Pseudo-Chimici Sophistæ capere nequeunt.



Respondeo: quòd cum memoriam habeas, jam suprà audivisti, quòd sal in principio in illo vase trituramus, imbibimus, solvimus & congelamus, & trituratio est calcinatio nostra. Et ecce sunt quatuor, vel quinque operationes unicō repetitō regimine peractæ.

Deindè in eodem vase, modò humectando, & modò exsiccando putrefacimus, ut Riplæus in Quinta sua Porta Tom. 2. B. pag. 280 in fine 2. col. cum exemplo quercus nos docet. Et ex eodem vase superfluam aquam hydropicam leniter evaporamus, quæ evaporatio, etiam distillatio vocatur. Cum

si vellis, supra vas prædictum, alembicum ad-  
dere, atque cum incastro ita quóque adaptare  
poteris, studioque ita confectum, & loco e-



vaporationis distillare qui-  
veris, sed hoc in secundis  
tantùm imbibitionibus cù  
spiritu volatili, seu aquâ se-  
cundâ repetendis facere po-  
teris, quapropter tūm non  
totalitèr aquâ insipida eva-

porat, sicuti in primis evaporationibus cum  
spiritu aceti peractis evenit; sed parum sem-  
per de spiritu volatili simul cum phlegmate  
surgit, & ascendit. Spiritus verò aceti, cùm  
non sit tām volatilis, non tām facilè subli-  
mat, sed tantùm partem aquosam insipidam  
nullius valoris evaporando dimittit, si verò  
nimiùs non sit ignis? Et ejus spiritus subti-  
lior in parte alcalicus figitur in Corpore.  
Postea tres spiritūs volatilis partes super Cor-  
pus solutum infundimus, & illud in aërem  
unā cum spiritu sublevamus, & exaltamus,  
quæ est sublimatio nostra. Deinde, Lapidē  
absolutō, in eodem vase, super Lapidem jam  
fixum iterū unam spiritūs partem imponi-  
mus, & secum figimus, & cæt. Et ecce o-  
cto, imò novem artis dispositiones semper  
in hoc unico vase confectæ, ac ita omnia  
unicō circulō includuntur. Hinc Arnoldus

in

in suo speculo Alchemiæ Tom. I. B. pag.  
687. Octo Dispositiones Artis, quamvis ob-  
scurissimè descripsit. Et in secunda Dispo-  
sitione omnia prædicta in unico vase pera-  
genda declarat, & indè subjungit ibidem:  
*Septem* verò *sunt Artis Dispositiones*: sed  
fuerunt multi, qui de ablutione dixerunt  
distillationem, & descensionem, & cæt. &  
ita novem Operationes (ut suprà) posuerunt,  
ut scientia magis esset obscura, &c.

Et ecce, quòd omnia, quæ Philosophi  
scripserunt, ubi convenient, verificantur:  
videlicet, quòd unica sit materia, ubique  
reperibilis, vilissima res, aqua viscosa, plūs  
habeant pauperes, quām divites, stercore  
tecta, dulcis, ponderosa, super terram fluens,  
ex cælo immediate proveniens, atque ex ve-  
getabilibus & animalibus mediatè procedat,  
vili pretio venalis. Et quòd in centro sal  
amarum & fætidum animatum habeat, spi-  
ritu vitæ universali repleta, & cæt. ut inferiùs  
ex omnibus congruentibus evidentissimè  
comprobabimus, quæ omnia & singula in  
ullo alio sublunari Subjecto tam accurate,  
nec inveniri, neque appropriari possunt. I-  
tèm, quòd in Opere, post primam prima-  
riam divisionem & præparationem, unicum  
sit semper vas, unus ignis semper levis &  
æqualis, unum regimen, unum Opus, uni-

ca

ca via linearis, & unica repetita dispositio, ut suprà notasti. Item, quòd ex eo, cum eo, & per eum omnia fiant in hac Arte, quia in eo sunt omnia Operi nostro necessaria, & nihil addimus extranei, & cæt. omnia, quæ omnes unanimiter scripserunt, minutim verificantur, &c. Et contra insipientes hanc veritatem negantes, non erit disputandum, &c.

De quibus tot Operationibus unica rotta inclusis, in uno vase peragendis, quomodo hoc intelligatur, vide etiam Nicolam Flammellum Tom. 2. B. pag. 358. 2. Col. sive Arnoldum in secunda, & septima Dispositione loc, suprà citat. Tom. 1. B. pag. 690. 1. col. & pag. 692. 1. col. vel Albertum magnum in suo Compendio de ortu, & metallorum materia, vol. 2. Theatri Chymici pag. 125. seu Frat. Heliam Affisensem in Libello Secreto Artephii Arabis insertum, & cæt.

Et de hoc unico vase vitro, seu scutellâ, in qua omnia prædicta fiant alembicô carente, cùm sufficiat in evaporationibus chartâ bibulâ tantùm illud cooperire, nè pulveres, seu cineres intrò candardant: vide Frat. Joann. de Rupe- scissa Lib. Lucis cap. 5. Tom. 2. dictæ B. C. pag. 85. ubi *Tazzam vitream illud nuncupavit. Sive Artephi-*

phium Arabem in suo Libello secreto, paùlo pòst principium, ubi dicit: *Pone aurum calcinatum ( nempè Sal triturat, quòd modò non ignoras ) in vase vitreo rotundo, quatuor digitorum alto, vel paulò plus, & super infunde acetum nostrum distillatum, &c.* Seu Alanum in suo Tractatu vol. 3. Theatri Chymici, post quartam paginam ejusdem sui Tractatus, cuius titulus est: *Dicta Alani, ubi scutella solutoria vocatur.* Vel Sendivogium Epistol. 31. Tom. 2.B.C, pag. 503. ubi *Scutella mundatoria dicitur,* exceptâ Phialâ in fine, ut ibidem legitur, & cæteri omnes docent, &c.

Hinc ex Gebro Tom. 2. dictæ B. pag. 357. 2. col. in Annotationibus Nicolai Flammelli, legitur: *Quòd post primam primariam præparationem non nisi unico vase, & unicō furno indigeamus in Arte*

Quare certum est, quòd in prima præparatione ad vinum conficiendum, tartarum calcinandum, sal eruendum, & cæt. pluribus indigemus vasis, ac ordignis ferreis, terreis, cupreis, ac ligneis, & cæt. ut expressè testatur Philaletha in suo Introitu Aperito cap. 17. Tom. 2. B. pag. 669. 2.col. in fine. Et de hoc puncto, vide etiam Theobaldum vol. 1. Theatri Chymici, Parte 3. pag. 179. & cæt. Alias post primam prædi-  
ctam

Etiam divisionem , ac præparationem , esset nobis impossibile pluribus uti vasis , ut in Lib. Ennarrationis Methodicæ trium Gebri medicinarum testatur , & cæt. & experientia docet , &c.

Propterea Arnoldus in suo Thesauro Thesaurorum cap. 17. Tom. 1. B. C. pag. 671, inquit : *Ex his igitur manifestè relucet Philosophos veritatem dixisse , quod stultis impossibile videtur , scilicet , quod unum sit semper vas , unica materia , unus Lapis , unum Opus , & unica via linearis , &c. ac .* Ac non est mirum , quod inexpertis impossibile videatur , cum de hac Arte Sophistæ nîl penitus intelligent , ut per tot sœcula experientia docet : nam ego mille & ultrâ novi Chemistas , nec unum adhuc inveni , quod saltè aliquod principium in hac Arte vere scivisset , & cæt. Ac in fine cum Josue cap. 24. vers. 27. *Testor vobis : ecce Lapis iste erit vobis in testimonium , ne forte imposterum contradicere velitis , & coram veritate mentiri.*

Et ecce verum , unicum genuinumque Opus Philosophicum , & nîl aliud in Orbe. Quod novi , feci , vidi , meisque manibus pertractavi , & nunc studiosis propalare decrevi. Gratias ergo submissas Deo nostro Benignissimo , Amice Lector agas , cum de-

ni-

nique mysterium hoc tamdiu in pectoris penetralibus Sophorum sepultum , támque zelotypicè usque dum occultatum , nunc à me prodigaliter absque ulla invidia lucidissime explicatum , intelligas ; quod certè , nisi sis durissimæ cervicis arcanum hoc funditus hîc comprehendere poteris. Quod ad majorem tuam eruditionem , ac tutissimam persuasione cum sequentibus Sophorum omnium congruentium Concordantiis autoritate eorum confirmabo , & omnia prædicta cum ipsis Philosophis evidentissime comprobabo , &c.

*Hac sunt Alchymica mysteria cuncta Sophorū,  
Quæ bene , si capias , singula pando tibi.*



Pars

## Pars Secunda.

**S**ophorum Concordantiae tām de Vera Materia, quām de Praxi; atque etiam de vi- ni, Acetique Philosophici confectione, ac necessitate, que sunt prima Basis, ac Principale Artis fundamentum, sine quibus est mera Chemicolarum fatuitas hoc Divi- num Opus incipere, uti ex veris Philoso- phis ulterius demonstrabimus, ex eadem Bibliotheca Chemica Curiosa Joani- nis Jacobi Mangeti recollectæ, ut ibidem omnia invenire possis.

Non est enim occultum, quod non ma- nifestetur, & in palam veniat: Luc. cap. 8. 18. Unde, ut Sap. cap. 7. atque Eccl. cap. 1. Audi igitur me, & ostendam tibi Scientiam meam, quām mihi Deus benignis- sime tribuit.

**I**N primis ergo de metallis aut mineris, ubi ut plurimum vulgares Chemistæ, Naturæ principia ignorantes vanè, ac insipien- tiūs occupantur, tractabimus, in quibus Pseudo-Chymici Sophistæ totis viribus pri- mum sperma metallicum invenire frustrâ co- nantur: nec aliud sciunt argumentum, si- nè tamen conclusione, & absque ulla distin- ctione, quām: *Ex Homine oriatur Homo,*

ex

*ex lupo lup<sup>9</sup>: ergo ex auro fit aurū, & ex metal- lis metalla producuntur, &c.* At pessima ver- consequentia, ut inferiūs lucide videbunt.

Etenim quibus respondeo, an hoc intelli- gatur ex Corporibus Hominis, sive Lupi, vel ex spermate? si dicerent er Corporibus, nimis esset absurdum? si ex spermatis; certè ex Hominibus mortuis illud habere nequit? quomodo ergo ex metallis mortuis hoc se- men habere prætendunt? Quòd semen seu rerum omnium sperma nîl aliud est, quām vapor vivus multiplicabilis congelatus in quolibet vivo Corpore existens, quòd vapo- re vivō metallūa mortua carent. quamvis ex ipso ortum duxerint, sicuti quoque ex ho- minibus mortuis, in quibus est extinctus & exsiccatus, itaq; imposibilis extractionis, atq; vivificationis, undē metallūa jam ad ultimum eorum finem redacta, in quibus vapor ille extictus, atque ibi sicuti frumentum in Pa- ne specificatus, ac in aliam transactus na- turam, in primum illa reducere vaporem non est possibile, ut Sendivogius Tractat. 4. sui Novi Luminis concludit, & cæt. Et cùm à Sapientibus, ut à Jo. Augurello, & cæt. dicatur: *In Auro semina sunt Auri,* &c. In Auro vivo nostro spermatico intel- ligitur, non autem in auro vulgi, & cæt. ut inferiūs clarissimè probabimus, & cæt.

E

cùm

cum Sal nostrum, Aurum à Philosophis vocetur, &c.

Ipsi repetunt, quòd verè ex semine fiant? sed sicuti in Corporibus animantium sperma latet occultum, ità consequentè in Corporibus metallicis illud occultum inquirere debemus? quibus repeto, an Natura ad metalla procreanda ex iisdem Corporibus metallicis semen sumat, & an metalla inter se multiplicentur. Vel ex spermate quodam ex Elementis productò tantummodo generantur? Etenim hoc certum est, ac indisputabile, quòd Natura ex principiis, seu vaporibus elementaribus in visceribus terræ attractis, ac diù elaboratis, conjunctis & coagulatis, illa generet. Propterea Sophi dicunt, quòd ab initio prima metallorum materia, ac primordiale eorum sperma ex Elementis productum, in unica re composta super terram reperibili, inclusum, sumi debeat, ut inter cæteros Lullius in toto suo Testamento clare descripsit, & inferius lucidissimè demonstrabimus, cum aliud sperma non habeant metalla, nisi vaporem quendam caliditate mixtum sulphureum mercurialem ex elementis provenientem, in chaote nostro inclusum, ut ait Sendivogius, Tractat. 3.

Quare Animalia, & Vegetabilia porrò sper-

sperma vivum multiplicabile vegetativum in se habent, qua de causa inter se multiplicantur. Sed in generatione metallorum, non ità se res habet, propterea inter se multiplicari nequeunt. At si Aristoteles dicat: *Quòd species metallorum multiplicari, ac transmutari non possint, nisi reducantur in primam materiam:* non intellexit de metallis vulgi specificatis, verùm enim verò de sua prima salina mercuriali specie sulphureâ, seu primâ radice verè multiplicabili, cum qua metalla generantur, quæ species, cum nulla res sine excrementis corporificetur, in profundo chaotis nostri sepulta, in illo statu, certè nullum in metallis haberet ingressum, nisi primô in primam spermaticam purissimâmque vaporosam materiam arte nostrâ reduceretur.

Quamvis Aristoteles in his verbis duplarem quoque operationis modum Alchemiæ ostendat. Unum nempè Chemicorum Sophisticum, alterum Philosophorum Naturale ac Reale. Opus enim illorum, qui in metallis, & mineris vanè stolidèque operantur, est falsum, quia non reducunt metalla ad primum eorum sperma seu vaporem, neque ullâ arte reducere possunt; & Et ad tales loquitur Aristoteles, ut hisce verbis testatur Arnoldus Tom. I. B. C. pag.

701. 2. Col. in suis Questionibus, non autem hoc dixit pro illis, qui Philosophice operantur, quia prima Pigmentalia Natura ad auri generationem destinata, atq; determinata veraciter in primam reducunt materiam, & cæt. & ita Arnoldus loco citatō. Hinc addit idem Arnoldus in octava Dispositione sui Speculi Alchemiæ, quod Aristoteles predictis verbis Sophistas deridat, frustrà, stolidèque præsumentes metalla mortua in primam reducendi materiam, ut Sendivogius quoque Tractat. 4. sui Novi Luminis confirmat. Subjungit indè Flammelius in suo Summario Philosophico: quod si quis aurum, & argentum vulgi, aliaque metalla, & cæt. in primum mercurium, seu materiam primam metallorum redigere conaretur, is omnino stultesceret, &c. Quid nunc ergò respondebunt Sophistæ.

Undè cùm in hac Arte Naturam imitari debeamus, necessariò ad principia metallorum seminalia, ut ait Pater Hermes, recurrere debemus, quia certè ex Corporibus Corpora non generantur, sed spermate, ut addit Sendivogius Tractat. 6. sui Novi Luminis. Et hoc sperma in metallis jam est extinctum, itaque virtute generativâ, atque multiplicativâ carent, ut Riplæus subjungit; & ideo inter se non multiplicantur, nec

natura ipsa hoc facere potest, néque ad alia metalla generanda illis utitur, cùm ex ipsis illud sperma cum quo generata fuere, nec Natura amplius eruere possit, sicuti habemus exemplum in Pane, ut ita legitur in Clangore Buccinæ Tom. 2. B. C. pag. 159. ultrà medium prim. col. & in Rosario confirmatur. Qui Panis ad ultimum finem deductus, quamvis ex frumento ortum suum agnoscat, tamen ex ipso iterum Frumentum erui nequit, quia jam in aliam substantiam sicuti metalla permutatus est, néque detur regressus in Natura, néque ex eo plus fermentare poteris, & sinè fermentatione nihil fit, Undè ita est in metallis, in quibus amplius fermentare est impossibile. Qua de causa verum quoque fermentum in Opere nostro, est eadem materia verè fermentabilis, ut idem Clangor Buccinæ subjungit, & licet ultima Lapidis specificatio, seu aurō vulgi colligatio, fermentatio quoque dicatur, illa non est verè vera fermentatio, quia tūm aurum vulgi nūl aliud est quām ligamen, ut Isaaccus in suo Opere minerali Lib. I. cap. 136 apertè declarat. Et vide Paracelsum in suis Congeriis cap. 7. & cap. 8. &c.

Addit tamen Clangor Buccinæ loc. citat. pag. 149. ultrà medium 2. col. Non enim est necessè, quod præsumas hoc semen

*inquirere in sua prima simplici natura in elementis occultum, quamvis sine quinta essentia universalis nil facere possis : sed illud querere debes in specie composita elementata, ex ipsis nempe elementis producta, & cæt.*

Unde vide Christophor. Parisin. vol. 6. Theatri Chemici in suo Elucidario in Praxi 223. & 229. atque in Explicatione Alphabet. in Practica 231. & ultrà, & cæt. & ibi prædicta concipies.

Pseudo-Chymici tamen Paracelsum citantes, ipsum tamen non intelligentes, reputunt: *Ait verò Paracelsus, quod ex metallis, cum metallis, & per metalla, metalla fiant.* Sed quia simplices Sophorum ignorant Cabalas, ita sine conclusione insipientius disputant; juxta Eccl. cap. 3. vers. 11. dicentem: *Et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo Opus, quod operatus est Deus ab initio.* Nescientes, ut ait Artephius, quod hæc Ars sit Cabalistica Arcanis plena, innumeris æquivocis ænigmatibusque multis involuta. Etenim Paracelsus obscurè tamen indicare voluit, quod unaquæque res ex proprio spermate oriatur in orbe, sicuti ex spermate hominis homo, atque spermate canis, canes gignuntur, & cæt. itaque similitè ex proprio vivo semi-

ne metallico, & per semen metallicum, cum quo Natura metalla generat, metalla fiant, non autem ex tot rebus extraneis aurô contrariis, combustilibus, ac impropriis, in quibus semen metallicum certè non adest. Et multò minus ex Corporibus mortuis metallicis, ubi sperma extinctum est, & quamvis Fatui illud ibi extrahere possent, quod est impossibile, ex Regulo martiali, Antimonio, Plumbô, Marchasita, Cuprō, &c. certè ex illis nunquam aurum producerent, quia nemo dat, quod non habet. Et quod ita sit, videamus, quid idem Paracelsus in suis Congeriis Chymicæ concludat: Inquit enim loc. citat. Paracelsus Tom. 2. B. C. pag. 433. cap. 7. in fine 2. col. *Cavendum est à Sophisticis Oleis Vitrioli, & Antimonii, item ab oleis ( Nota ) metallorum tam perfectorum, quam imperfectorum, ac etiam auri & argenti, & cæt.* Et in fine dicti cap. 7. pag. 434. subjungit: *Hujus artis nonnulli zelotes quæsierunt fermenta suæ in variis mineralibus primis, & mediis, ac in varium se cucurisse compreuerunt; quoniam in hoc Opere est semper eadem substantia, quæ queritur, cum qua scilicet incipitur, & finitur, & cæt.* Et idem cap. 8. loc. citat. pag. 434. 1. col. addit: *Porrò notandum, communes illas preparaciones Ge-*

bri, Alberti Magni, Divi Thomae Aquinatis, Jo. Rupe - scissæ, & cæt. nil aliud esset credas, quām particulares quasdam metalorum Purgationes, & Calcinationes, &c. nil penitus ad nostrum universale pertinet, quod quidem secretissimō solum Igne Philosophicō ( nempe acetō nostrō ) indiget, &c.

Sed prædicti primò hoc scripsérunt, quare, ut quóque Basilius valentinus in suo Curru Triumphali, cum suo particulari de antimonio, & cæteri fecerunt; purgárunt illa, & calcinárunt, ac indè cum oleo falso nostri universalis particularitè tinxerunc, etenim absque hac unicā verā radice universalī particularia omnia Chemicorum sunt falsa; ut ipse Basilius in fine concludit. Secundò, ut cæteri omnes præscripta Sophistica ubique studiō intermisuerunt, uti ex eorum scriptis lucidè patet, né indigni penetrarent arcanum, ac néque Artis mysterium conciperent; undè ibi Paracelsus sincerè nobis ostendit, quòd cùm Sophi de metallis loquantur, nos ubique deludant. Et cùm de materia metallicā tractent, vel quòd materia metallicā & mineralis esse debet, subjungant, indicare tantū voluerunt, ut suprà demonstratum est, quòd ex solo spermate metallico, de vera sua natu-

ra

ra metallicā, ad metalla procreanda determinato, quō Natura utitur, Lapis fiat, non autem de spermate alieno Naturā metallicā carente, sed verō Naturālī, primordialique ex Elementis productō. Hinc ex Helia Artistā in Dialogo Tom. I. dictæ B. C. pag. 209. 2. col. legitur ( Nota Benē ) *Opinio Paracelsi*, ut suprà, asseverantis est, quòd per metalla, ex metallis, & cum metallis spermaticis spiritualibus benè emundatis, & à fecibus antea depuratis, metalla fiant, ac aurum vivum & argentum Philosophorum tām ad Corpora humana, quām metalla, & cæt. modum scilicet docentis hoc cælestē sal spirituale præparandi, per quod, cum quo, & ex quo possumus, quasi in eorum matrice spirituales Solis & Lunæ radios colligere, &c. Et ecce eorum Cabalæ sincerè explicatæ. Et sic cum semine proprio vivo naturali, ex metallis electricis immaturis metalla fiunt, sicuti cum proprio spermate vivo naturali hominis, homines oriuntur, & ita ex metallo fit metallum, ex homine homo, ex bove bos, & cæt. nec aliò intellegitur modō. Non autem ex Corporibus destructis atque dissectis, ut ait Sendivogius, néque ex rebus alienis spermate naturali metallicō carentibus, uti faciunt Sophistæ, hoc fieri potest?

E,

Ete.

Etenim legitur in Tom. 2. præcitatæ B. C. pag. 784. 2. col. ex subtili Philoſopho. In metallis major videtur difficultas, originem à quo sortita fuerint invenire, quam in Plantis, & animalibus: Animantia enim & vegetabilia certum est ex parentibus, seminibus, ovis, spermatisque mediantibus ortum agnovisse, & ita multiplicantur & crescunt, at non ita metalla, que ex progenitoribus metallicis non proveniunt: verum hæc ex ulla alia dici possunt emanasse materiâ, quam ex Elementis.

Et ulterius ibidem addit Author: Primum ergo ſubjectum ſibi propinquum conueniens, atq[ue] affinitate connexum, aërem esse concludimus, & per hunc tanquam per medium ad aquam & terram transferri, ut sit primum, principale, ac universale Naturæ instrumentum, per quod Elementata Corpora Metallica perficiuntur, &c.

Et ulterius pag. 785. 2. col. subjungit: Spiritus enim Astralis, à quo propria cuiusque metalli species provenit, idem est in principio, mediò, ac fine generationis cursus, & cat.

Et ulterius pag. 786. 1. col. concludit: Cum enim hæc non ex Seminibus Corporum, ac spermatis ibi exſiccatis, ſue generationis primordia metalla ſuscipient, néque per

per illa multiplicentur, sed ex Elementis immediate originem ducant, patet hæc non posſe ad metallorum multiplicationem deduci, niſi per dicta principia, ſecundaria tamen ex Elementis videlicet producta, tanquam per media necessaria, ubi eorum nempe viva ſpermata vaporosa, & ſpiritualia resident, & cat. Et hæc eſt res metallica, ac vera radix mineralis ſumenda, per quam, & ex qua metalla fiunt, ut Paracelsus intellexit. Et ita Lullius cap. 57. ſui Testam. Tom. 1. B. C. pag. 742. 2. col. aperte confirmat, quod hæc ſit nempè materia metallica Naturæ & Sophorum, &c.

Quæ principia ſecundaria ex Elementis producta, in prædicto unico tantum chaote nostro pura inveniuntur, quod chaos ita profundè in Tractatu Gloria mundi, vol. 6. Theatri Chymici pag. 514. describitur: Sicuti in principio una fuit materia; que nec Terra, nec Aqua, nec Aēr, nec Ignis, néque Tenebra, néque Lux erat: ſed horum omnium confufum Chaos: ita quoque hoc primum Lapidis nostri ſubjectum, non eſt niſe una ſola Res, ex pluribus rebus composita, ſecundūm autem divinam ordinationem, non verò hominum manuſtūram. Eſt enim ignis non habens ignis ſpeciem. Et aēr, non habens aēris formam. Eſt Aqua, cui

al-

alia aqua non est equalis, Est terra, quae  
terra nullam speciem habet. Considerent ergo decepti Sophistæ, an hoc prædictum chaos tam egregiè à Philosopho descriptum, metallum unquam esse possit? Quam indè chaoticam ac electricam materiam, ubique reperibilem, Pater Athanasius Kircherius in suo Mundo Subterraneo Tom. 2. Lib. 12. Sect. I. cap. I. ità sapientissimè definiuit, quamvis illam minimè noverit, cùm non omnes sciant omnia. Sed sicuti fuit in omnibus verè aliis scientiis maximè eruditus. & expertus, hæc quoque Naturæ principia benè intellexit, & hoc Chaos ità profundè descripsit, & explicavit, quòd si illud præ manibus habuisset, non ità clariùs, sicuti revera est, ipsum demonstrare potuisset. De qua sapientissima Kircheriana Chaotis nostri descriptione, vide Tom. I. prædictæ B.C. pag. 153. ubi ex ipso relatâ, sic legitur, &c.

E Sacris inquiens. mosaicis Oraculis, quæ meritò omni humana cognitionis certitudini, multis parasangis anteferre debemus, constat Deum rerum omnium Conditorem in principio materiam quandam, quā nos non in congruè chaoticam appellamus, è nihilo creasse. Gloriosus enim Deus omnia simul creavit, intra quam quicquid in Natura rerum mixta rum, substantiarumque materialium postea pro-

producendum erat, veluti panspermia quādam confusum latebat, &c. Quæ cùm ita sit, meritò hoc loco quāri potest quanam fuerit illa panspermia vis seminalis rerum omnium productrix? Dico fuisse spiritum quendam mercuriale, seu ex subtiliori celestis aura, sive Elementorum portione, vel ex eorum quinta essentiâ compositum, fuisseq; vaporem quendam sulphureo-salino-mercuriale, semen universale rerum ex Elementis à summo Deo concreatum, originem omnium eorum, quæ in mundo conditas sunt, en- tium Corpororum. Hic enim pronatura matricum, quibus inditus: in matribus quidem inanimatis mineralia & metalla Corpora. In vegetabilibus omnis generis plantas. In sensitiva Natura, Animalia, juxta congruam unicuique Naturam insitione mirificâ producit, ac in tot Corpora mixta, quæ species rerum sunt, combinatione ineffabili soli Deo nota individuatur, &c. Unde non imerito hoc tanquam semen universale Naturæ spiritum salino sulphureo-mercuriale, unam substantiam triplici virtute distinctam nuncupandam censuimus, proximum rerum omnium principium ex Elementis productum, quæ hujus vehiculum quoddam sunt, ac materiam remotam ab initio rerum inditum, & ad rerum omnium constitutionem, compo-  
tio-

zionemque à Deo destinatum, cùm nūl sit in  
terum natura (Nota) nec in Trino Naturae  
Imperio, quod ex hac triplici virtute in uni-  
co illo SALE NATURÆ contenta non consti-  
tuantur, & cæt.

Et Author Philosophus ibidem deinde  
subjungit: Quemadmodum ergò spiritus hic  
Mundi universalis, & Sal hoc Naturæ Astræ-  
le, genuinum Aurum hoc Philosophorum, de-  
sideratissimus hic Sapientū Mercurius, Ele-  
mentorū quinta essentia, superiora, omniaq;  
inferiora fovet, nutrit, & conservat, & cæt.  
Ita quoq; in hoc mirabili subjecto jure-me-  
rito querimus tincturæ nostra universalis u-  
niversalē materiam, & cæt.

Hinc Sendivogius in suo Lumine Tra-  
ctat. 3. Tom. 2. B. C. pag. 466. 1. col. inquit:  
Prima metallorum materia, seu eorum sper-  
ma duplex est, sed una sine altera metalla  
non creat. Prima & principalis ( in hac  
Arte inquirenda ) est bumidum aëris cali-  
ditate mixtum ( nempè spiritus universalis)  
hanc Philosophi Mercurium eorum nuncu-  
parunt, qui radiis Solis & Lunæ guberna-  
tur in Mari, seu Chaotæ Philosophorum.  
Secunda est Terræ caliditas sicca, quam Sul-  
phur eorum vocârunt ( hoc est Sal Naturæ  
sul-

sulphureum prædictum ) & cæt. Et ulterius  
ibidem 2. col. subjungit: Verūm enim ve-  
rō ab his omnibus (Nota) qui in vanam me-  
tallorum solutione versantur, & metalla per  
totum solvere frustrā conantur, & cæt. Si  
Naturæ processum bene considerarent, vide-  
rent rem se habere longè aliter, &c. Et ulterius:  
Sed tu, Amice Ledor, primum observabis  
hoc primordiale Naturæ pondum, ut suprà  
dicatum est; sed hanc tibi habeto cautelam,  
nē in metallis vulgi illud spermaticum que-  
ras pondum, in quibus certè non est. Nam  
metalla omnia vulgi sunt mortua, sed no-  
stra sunt viva, spiritum vivum habentia,  
( Spiritu vivō Universali nempè imprægnata )  
quæ omnini sumenda, & inquirenda sunt.  
Unde vide Epistol. 50. ejusdem Michaëlis  
Senpivog. Tom. 2. B. C. pag. 512. & 513. ubi  
de hoc spiritu vivo universalis in unico no-  
stro vivo metallo reperibili profundè loqui-  
tur, &c.

Addit Bernhardus Comes Trevirensis in  
sua Epistola ad Thomam de Benonia, Tom.  
2. B. pag. 405. 2. col. Possunt quidem spe-  
cies metallorum in speciem olei reducere, in  
speciem autem metallicam minime, ( ut su-  
prā ex Aristotele probavimus ) illud tamen  
ole.

oleum ad medicinam Corporis humani prodesset, impertinenter tamen, ac inutiliter ad Opus nostrum Philosophicum, & cæt. Et vide ibidem ulterius pagin. sequenti 407. 1. col. quid de metallis & mineris concludat, & cæt,

At Senior similitèr Tom. 2. B. C. pag. 234. 1. col. erga finem capituli, sive sermonis, inquit: *Multi non intelligentes dicta Philosophorū aridis adhæserunt Mineris & Metallis, quæ sicca sunt, spiritu vitae, tinteturaque carentibus, propter quod tempus inutiliter amittunt, & pecunias projiciunt.* Et tamen Sophistæ non credunt, omnia contradicunt, & de jure capitis in metallis & mineris laborantes, atque in mercurio vulgi, qui est omnium Alchymistarum deceptor, ac quotidie novas quoque inquirentes materias, inveniunt etiam novum, recensque nihil, ut ait Sendivogius. Hinc ut legitur in Lib. Sap. cap. 3. vers. 11. *Vana est spes illorū, & labores sine fructu, ac inutilia omnia Opera eorū.*

Subjungit enim Sendivogius in suo Novo Lumine Tractat. 4. Tom. 2. B. pag. 466. 2. col. *Sciant Doctrinae Filii, sperma metallorum diversū non esse à spermate rerū omniū, scilicet vaporē humidū, ( Cælestem prædictum ) ideo frustrā querunt Alchemystæ mettab.*

tallorum reductionem in dictam primam materiam, quæ tantum vapor est. Ex Elementis tantummodo proveniens, ut suprà satis demonstratum est. De quo vapore cælesti tantâ decoratō mirabilitate; spiritu nempè universali Sapientum, vide Sapientem in Lib. Sapientiæ cap. 7. vel alibi ex eodem Salomone lucidiùs explicatō, & cum prædictis sapientèr combina.

Qui vapor Sapientiæ vivus, igneus & spiritualis in mortuis metallis aridis, ut suprà dixerunt Senior, & Sendivogius certè non est. Unde Philosophi materiam quandam secundam fluidam invenerunt & mollem, ex cælo immediate provenientem, virginem, non adulteratam, verè universalem, in qua tria primordialia Naturæ principia vera spermatica, & vaporosa, cum quibus, & ex quibus Natura metalla generat, tantummodo resident, & ex qua facile illum extraxerunt primum metallicum vaporem sulphureum ex Elementis unâ cum materia illa chaoticâ secundâ productum, ac in ejus centrō in Sal Naturæ coagulatum & animatum sepultum, atque ex eodem subiecto spiritum quoque habuerunt illum universalem igneum mercuriale; & sic Sal, Sulphur, & Mercurium Naturæ obtinuerunt, quæ sunt Corpus, anima, & spiritus eorum, & omnia ex una re provenientia, ut Geber, Lullius, Senior, &

& cæt. apertè declarant, quæ omnia ex metallis extrahi nequeunt. Et ex auro vulgi quamvis aliis perfectius, tamen tinturam erui nequit, cum non habeat nisi pro ipso, ut ait Senior Tom. 2. B. pag. 234. in fine 2. col. & cæt. & spiritu vitae careat.

Propterea addit Sendivogius Tractatu 4. suprà citato ibidem Tom. 2. B. pag. 467. 1. col. *Ego verò, ut clarius loquar, omnes hic præcavere moneo, ut tot metallorum solutiones, & calcinationes, & cæt. sinerent, nam frustrè id queritur in re dura, cum per se materia nostra (secunda) ubique sit mollis.* Itaque idem Sendivogius in suo Epilogo erga finem, ulterius loc. citat. pag. 473. 2. col. concludit: *Quod si in tertia materia operatus fueris, nihil efficies, ut tractant hi, qui extra hoc unicum Sal Naturæ mercuriale predictum (quod est vapor ille congelatus melior, quam universa terra ab ipso præscriptus) laborant in herbis, lapidibus, (Nota) & mineris, & cæt. exceptis Sole, & Lunâ nostrâ, & cæt.* Et jam suprà in prima Parte probavimus, quod Sol & Luna nostra in hoc unico Sale Naturæ dupli sulphureo animato mercuriali considerentur, ut inter cætros, ex Gebro, & Lullio Tom. 1. B. C. in fine pag. 915. quoque contestatur, quia sunt duo Naturæ sulphura tangentia simul album

sc.

scilicet & rubrum in illo Sale mirabili contenta, ut ita quaque Paracelsus in suis Congeriis Chymiae cap. 8. Tom. 2. B. pag. 434. in fine 1. col. confirmat, inquiens: *Natura ab Artifice requirit ut Philosophicus Adam (Hoc nempre Sal, quod est Terra Virginea Adamica alba & rubra) in mercuriale primam substantiam adducatur, ac demum in Solarem Lapidem enascatur, quia (ut ulterius addit) Album & rubrum ex una sola radice profiliunt absque medio quovis.* Ut ita similiter Daunstenius Anglus cap. 3. in eodem Tom. 2. B. pag. 312. 1. col. contestatur. Et Riplæus in Accurationibus & Practicis Raymundinis, ita lucidius illud duplex animatum Sal Naturæ descriptis, dicens. *Aurum, & Argentum Philosophorum sunt duæ Tincturae simul, sive duo sulphura Naturæ album & rubrum in uno Corpore tecta, non dum à Naturæ in Aurum & Argentum completa, neque specificata, & cæt.* Et ecce quare merito dicitur materia metallica & mineralis, & quod in hoc auro vivo nostro semina sint auri, ut Augurelius, & cæt. Unde vide Laur. Ventur. cap. 25. ac sedulō spiritu omnia ibi perlegas, & combina, ac ibidem cap. 11. & cap. 28. & cæt.

Hinc Philaleta in suo Introitu Aporto cap. 1. Tom. 2. B. pag. 662. 1. col. postquam

F 2

an-

antea de hoc Auro nostro albo & rubro dupli hermaphrodito multa scripserit ( quia reverâ omnia, quæ in Libris Philalethæ ubique ex ipso inveniuntur , sicuti ipse scripsit, sunt verè observatione digna ; sed alia multa , quæ ab amicis Jo. Pontani ad eorum sophistications accreditandas de Regulo, Antimoniô , & cæt. post Philalethæ obitum in suis scriptis temerè adjunixerunt, falsa sunt, de quibus Philaletha nec somniavit, ubi quoque ad exaltandum eorum amicum Pontanum, illum etiam stolidum sophistam in scriptis Philalethæ citârunt, & inseruerunt, qui insipiens Pontanus nunquàm Philalethæ fuit notus , aliás quæ ex Philaletha sunt , ipsum Adeptum fuisse contestantur ) indè in fine capituli citati Philaletha concludit : *Quòd argentum vivum nostrum sit Sal hoc Sapiensum, sine quo Sale, quicunque operator in hac arte introductus, erit sicuti sagittarius, qui sine chorda sagittat.* Et cap. 2. ulterius subjungit : *Quòd istud argentum vivum minerale sulphureum, tamen non propriè sit minerale, neq; metallum, & cæt. at sal quoddam animatum Astrale Natura, & cæt.*

Propterea ait Isaaccus Hollandus in suo opere minerali Lib. I. cap. 64. *Sal hoc pretiosissimum duplex, quia animam rubram sulphuream in se habet occultam, itaque veteres*

*res sal animatum ipsum vocârunt, & cæt.* Undè legitur in Tom. I. dictæ B. C. pagin. 914. I. col. ex Gebro & Alberto Magno. *Prima mineralis metallorum materia est unum Sal Nature.* Metalla autem debite in sal verti non possunt, nisi mediantibus multis calcinationibus cum rebus extraneis sibi commixtis , que autem calcinatio tamè auro vulgi evenire nequit. *Quoniam sophica calcinatio fieri debet sine ulla alterius rei mixtione;* sed cum proprio suo externo sulphure adustibili , quod sulphur adustibile in auro & metallis non adest, ergò debite calcinari, & ad primam materiam reduci non possunt, & cæt. ut suprà dixit Aristoteles.

Sophistæ autem , quia nîl aliud volunt, nec aliud intelligunt, quàm metalla & mineralia comunia , quamvis suprà lucidè ex Pythagora, Gebro, Alberto magno, Paracelso, Helia Artista, Lullio, & cæt. probaverimus , quòd cum Sophi de metallis loquantur semper , & ubique de metallo nostro vivo spermatico intelligent , & ità sub nominibus metallicis simplices deludant, tamen , mira res ! hoc credere nolunt , & contrarias Sophorum authoritates juxta eorum opinionem explicare conantur , & itâ in Sophicis doctrinis, quod volunt , sumunt , & quod nolunt, rejiciunt ; & licet

metallis, nec unica ex tot circumstantiis, si-  
ve signis & contra signis chaoti nostro tan-  
tum convenientibus & appropriantibus, ad-  
aptare possit, tamen nullam audire volunt  
rationem, & ideo cum similibus non est di-  
sputandum, quapropter, cum indè multos  
quoque perlegant Authores omnia metalla  
in hac arte damnantes, vel sincerè afferen-  
tes, quòd metalla in primam mercurialem  
materiam reducere sit impossibile, statim di-  
cunt, quòd isti non fuerint Adepti. Sed ad  
nostrum redeamus propositum.

Undè clarè patet, quòd Sophi, cum de  
metallorum calcinatione tractent, non in-  
telligent, ut suprà ex Paracelso, & cæteris,  
audivisti, de metallis vulgi? sed benè qui-  
dem de eorum metallo vivo electrico iñ-  
tatuò tartarizatò, cuius verè tartarus quam-  
vis antea per vulcanum calcinatus, tamen in-  
dè, antequàm ex eo sal eruatur multas quo-  
que habet sulphureitates combustibiles, ut  
suprà ex eodem Gebro, & Guidone de Mon-  
tanor demonstravimus. Et de hoc punto vi-  
de ipsum Paracelsum in suis Congeriis Chy-  
miæ cap. II. Tom. 2. B. pag. 438. I. col.  
ubi incipit: *Arcanum Tartari similitèr est  
amovendum, & cæt. donec indè ( ut suprà  
dixit ) vulcanò mediante sola, puraque me-  
dia substantia alba inveniatur in centro, que  
sub-*

*substantia, nempè sal, facile subinde in o-  
leum, seu aquam Philosophicam, nimirùm in  
primam materiam deduci poterit, &c. &c.*

Quapropter, ut suprà, ex Lullio, &c.  
perlegisti, ex hoc tartaro calcinato pretiosissi-  
sum Sal nostrum eruitur, quod Sal est ve-  
rum unicùmque sperma congelatum metal-  
lorum, & Corpus Solare, & Lunare Sapien-  
tum vocatur, quòd Corpus verè mediante  
sulphure adustibili in prædicto tartaro abun-  
dantè residente, illum calcinando, denique  
ex cineribus elicetur, quod indè ab artifice  
radicaliter aquâ sui generis solutum, in pri-  
mum naturale sperma metallorum deducitur.

Hinc legitur in Clangore Buccinæ Tom.  
2. B. pag. 155. I. col. Tunc enim habetur  
proprium sperma metallorum, ex quo met-  
alla artificialiter super terram perficiuntur, si-  
cuti per Naturam sub terra ex eodem sper-  
mate generata fuere. Et vide Petrum Bo-  
num Lombardum in sua Margarita Novella  
cap. 25. &c.

Undè sequentia cum prædictis sanâ men-  
te combina. Legitur enim ex Lullio Tom.  
I. B. C. præcipitæ in fine 2. col. pag. 915.  
( Nota Bene ) Sicuti prima mineralis ma-  
teria metallorum, ut diximus, est unum Sal,  
ità etiam nos Naturam imitari volentes con-  
vertimus, vulcanò mediante, metallum no-

strum vivum in salem album, ut argentū, quod à Philosophis argentum vocatur. Et in suo profundo tenet occultum vaporem illū rubetum sulphureum, scilicet animam, aurū à Sapientibus nuncupatum; & de hoc auro & argento semper Philosophi intellexerunt. Ideò non oportet fundamentum aliquod in hac scientia facere super aurum & argen-  
tum vulgi neq; à fortiori super alia quæcumq; metalla, quoniam omnes Philosophi dixerunt hanc medicinam fieri debere ex re vilif-  
fima, ubiq; reperibili, omnibus nota, & cæt. Quid ergo lucidiū dicere pertinet de hoc mi-  
rabili Sale Naturæ, in quo, ut suprà notâ-  
ti omnes, unanimiter conveniunt? ergo clarè eluet, quod corpus hoc ad  
Opus Philosophicum sit inquirendum, non autem Regulus, Plumbum, Aurum, Antimonium, & cæt. quod Corpus animatum est verè ejusdem generis sui spiritus mercurialis universalis prædicti, qua de causa in ipso solvitur, & simul conjunguntur, quia Natura Naturâ gaudet, Natura Naturâ læ-  
tatur, & Natura Naturâ amplectitur.

Hinc dicit Comes Bernhardus in Epi-  
stola ad Thomam de Bononia Tom. 2. B.  
pag. 400. in principio 1. col. *Differt ergo solvens à solvendo, proportione, & digestione, non autem materiâ, & ibidem ulterius*

ad-

addit: *Fatui autem ex Mineralibus faciunt, & extrahunt aquas corrosivas, in quas pro-  
jiciunt species Metallorum, & eas corrodunt,  
non autem solvunt solutione naturali, qua  
quidem solutio naturalis requirit permanen-  
tiam amborum, verâmque conjunctionem sol-  
ventis & soluti, & cæt.* Quod certè cum eorum aquis & metallis chemicolæ minimè hoc facere possunt, & cæt. quia non sunt homogeneæ sed inter se contrariam habent naturam, & cæt.

Unde sedulâ fronte perlegas Epistolam Arnoldi Villanovani ad Regem Neapol. transmissam Tom. 1. B. pag. 683. ubi omnia prædicta simul sapienter combinando, confirmata reperies. Ac idem Arnoldus in suo Flore Florum loc. cit. pag. 680. 2. col. inquit: *Quidam ex Corporibus metallicis credunt me-  
dicinam elicere, & sunt decepti: error enim illorum est, quia primum sperma Metallorum ab initio non acceperunt (nota ab initio) sed Corpus sicuti est in natura sua, &c.*

Memento ergo, quæ suprà ex omnibus congruentibus de hoc primo spermate ab initio inquirendo, dicta sunt, ac inde respondeant Chemicolæ, an Regulus, Aurum, Antimonium, & cæt. sint primum metallorum sperma, vel Corpora sicuti sunt in sua Na-  
tura?

F S

Hinc

Hinc legitur in Annotationibus Nicolai Flammelli Tom. 2. B. pag. 353. 1. col. ex Rosario : *Si cupias investigare hujus artis secretum, cognoscere te primo oportet primā metallorum materiam, cum qua scilicet illa primo generata fuere, alioquin tuō frustraberis labore.* Quænam autem sit hæc prima metallorum materia ab initio inquirenda, si-  
ve agnoscenda, jam suprà ex Sendivogio Tractat. 3. sui Novi Luminis demonstravimus : nempè spiritus igneus Cælestis, & terra sica sulphurea in mari Philosophico ambo expiscanda. Quare addit idem Sendivogius in eodem Novo Lumine Tractat. 6. Tom. 2. B. pag. 468. 2. col. *Et quamvis Corpus Metallorum ex Mercurio sit procreatum, tamen quod de Mercurio Philosophorum intelligi debet?* Hoc est, ex prædicto Sale Naturæ fixo sulphureo suo cum spiritu igneo mercuriali volatili, universalique conjuncto, quæ est illa prima metallorum materia ab Artifice primo cognoscenda, cum quibus simul colligatis fit verus Mercurius duplicatus Philosophorum. De quo unico spiritu universalī igneo mercuriali Sophorum, unicè in unica nostra magnesia reperibili, vide ipsum Sendivogium in suis Epistolis ulterius, Epistol. 44. & ultima, loc. citat. pag. 510. & 515. ubi evidentissimè demonstratnr apertè. Ergò

gò hæc est materia in hac Arte ab initio inquirenda? id est, illæ duæ res ex una re provenientes satis suprà demonstratæ, quæ Rebis dicuntur, nimirùm, Corpus fixum animatum sulphureum, & spiritus volatilis mercurialis igneus, ambo ex illa materia secunda Olympica extracta; non autem ex materia tertia, uti sunt metalla, in quibus certè non adsunt? Etenim suprà audivisti, quòd illæ duæ res in unum colligatæ mercurium verum cælificatum sapientum componant, & quòd iste Mercurius sit Prima Metallorum Materia, & cum isto Mercurio Metalla sint creata. Ergò hæc est Materia prima ab initio sumenda?

Indè sequitur Sendivogius in prædicto Tractat. 6. loc. præcitat. *Errores omnium horum è sequenti patebunt exemplò: manifestum est enim, quòd homines suum habeant semen, in quo multiplicantur, qui igitur Hominem generare vult, non Corpus, sed semen, quod est purus vapor, sumit, sed à vulgaribus Chymistis sinistrè proceditur, qui ab initio locò seminis Corpora sumunt, nescientes, quod ex Corporibus Corpora non gerentur, sed spermate, quòd spermate metallia carent, ut suprà ipsem et Sendivogius Tractat. 3. jam dixit: Undè in fine dicti Tractat. 6. concludit: Semina ergò vel sperma-*

ta ab initio sunt inquirenda, & non Corpora, & cæt. ut ita lucidis subjungit verbis Lullius in Theoria sui Testamenti cap. 55. & cap. 56. Tom. 1. B. C. pag. 741. & 742. & cæt.

Cùm etgò Rosarius suprà dixerit, quòd frustanenus omnis sit labor sive primæ Metallorum Materiæ vera cognitione, & Sendivogius Tractat. 3. suprà citat. lucide afferat, quòd prima metallorum hæc materia sit quædam aëris humiditas mercurialis caliditate mixta, unâ cum siccitate terræ sulphureæ salinæ, & quòd hæc bina res sit mercurius & sulphur Philosophorum in eorum mari tantummodo ambo reperibilia; ergo hæc est prima metallorum substantia, primūque sperma naturale ab initio sumendum?

Itèm cùm repetat Sendivogius, quòd materia secunda universalis aërea, non autem tertia specificata, sit inquirenda; & quòd sit Ros noster, & absolutè concludat, quòd si in tertia materia operatus fueris, uti sunt metalla, Ladides, & cæt. nihil efficies?

Ergò quid respondebunt Sophistæ? nisi quòd ipsi Phrenaticam tantum noscant Chymiam, nos autem Hermeticam?

Materia enim nostra secunda est Olympica, spermatica, rorida, electrica, virginea, universalis, ex Elementis immediate produ-

cta.

cta, & ex illis universaliter procedens; de qua ita Lullius in suo Testamento cap. 3 scripsit, ut Tom. 1. B. C. pag. 711. 1.col. Dicimus, quòd primum & principale medium sint quatuor Elementa. Secundum. sunt vapores compositi ex ipsis Elementis immeiatè de primo Compositione Naturæ, in quos vapores omnia Corpora resolvuntur. Tertium, est aqua clara composita ex dictis vaporibus per condensationem suæ Naturæ, quæ venit in diatos vapores quatuor Elementorum (nempè spiritus universalis ex illa prima Compositione Naturæ extractus in formam verè aquæ claræ prædictæ) & illæres est argento vivo magis propinqua (Nota) quod quidem reperiatur super terram, & non sub terra, currens, & fluens. Et istud argentum vivum à materia aëris est propriè generatum, & ideo ipsius humiditas est valde ponderosa, & cæt. Sicuti reverè est, cùm non inveniatur viscosa humiditas ponderosior in orbe, ut inferius ex Morieno videbis. De qua dicit Riplæus in suo Libro Terra Terræ Fit mentio in Sacra Scriptura pluribus in locis & legitur à Sacerdotibus in Altari, & cæt. Sicuti verissimum est.

Et quòd verè materia hæc super Terram & non sub Terra reperiatur ubique, vide Richardum Anglicum in suo Correctorio

rio in fine cap. 11. Tom. 2. B. pag. 271. 1. col.  
sive Arnoldum in Octava Dispositione sui  
speculi Alchem. Tom. 1. dicta B. pag. 693.  
in fine 1. col. Vel Guidonem de Monta-  
nor in Præloquio suæ Scalæ, Tom. 2. ejus-  
dem B. pag. 135. infine 2. col. Atque etiam  
Vol. 6. Theatri Chymici, pag. 511. in Ryth-  
mis ex Fratribus Aureæ Crucis, imò quoque  
ibidem subjungunt, quod ubi materia hac  
inveniatur non crescant metalla, & quod  
primum semen metallorum inquirendum, sit  
duplex, ut supra dixit Sendivogius Tractat.  
3. citat. & bina res, scilicet, Aqua volati-  
lis mercurialis, & terra fixa sulphurea &c.  
Quis ergo contra tot Philosophos hujus Ar-  
tis magistros ita ubique congruentes, ampli-  
us contradicere audebit? Item Lullius loc.  
suprà citat. in fine cap. 73. pag. 752. 2. col.  
inquit: Audi quid dicimus: quoniam non  
Bresca, nec Zaccara, neque Balsamum Aro-  
maticum tantum te delectaret, sicuti no-  
strum primum confectum, quod si semel pau-  
lulum suum delectabilem gustaveris saporem,  
juro tibi, quod de illo majorem haberet  
voluntatem comedendi, quam prius. Et vide  
ipsum Lullium cap. 24. & combina.

Addit Morienes in colloquio cum Rege  
Kallid Tom. 1. ejusdem B. pag. 515. 1. col.  
Tactus hujus Lapidis est mollis ( ac similiter

Sen-

Sendivogius Tractat. 4. citat. Tom. 2. B.  
pag. 467. 1. col. quod materia nostra sit mol-  
lis, confirmat ) & est major molities in eo,  
plus quam in suo corpore: pondus vero illius  
multum est grave ( ut supra dixit Lullius) ac  
ejus gustus dulcissimus, ejusque natura aerea,  
nempe Cœlestis, & sub sterquiliniis reperitur,  
&c.

Subjungit Petrus Bonus Lomberdus in  
sua Margarita Novella cap. 14. Tom. 2. B.  
pag. 51. in fine 1. col. Nam in hoc Lapide,  
quando oritur cum ipse sit liquidus, & flu-  
ens, & patiens, dicitur fœmina, suum au-  
tem coagulum, nempe Corpus, à quo coagu-  
latur cum sit solidum fixum, & agens dici-  
tur masculus, &c. ( scilicet Sal ) Ait Flam-  
mellus Tom. 2. ejusdem B. pag. 358. 2. col.  
Ex his, que dicta sunt, modo sis ingenio-  
sus, gustabis hoc delectabile Nectar Cœle-  
ste, super quod tota Philosophorum intentio  
est fundata.)

Scripsit Sendivogius in fine Epistol.  
50. similicer Tom. 2. B. pag. 512. & 513.  
Eligi debet mercurialis substantia, in qua est  
spiritus universalis coagulatus, quo in statu  
nullibi reperiri potest, prater in unico subje-  
cto nostro, à quo semel separatus amarissi-  
mus est. ( Hoc est Corpus seu Sal ab illa sub-  
stantia Cœlesti erutum, quod verè amarum  
est

et & fætidum) indè sequitur ibidem Sendivogius (Nota bene) Si vero de secunda materia sermo sit, jam conveniunt qualitates & proprietates prædictæ, &c. Nam dictum subiectum est spissum, opacum, subrubrum, & album, dulce, & suavis odoris. Sal autem sume siccum, quia terra est, & amarum. ut supra dixit; & ulterius addit: Recens vero est eligendum, quia materia hac tractus temporis facile dimittit spiritum universalem. De quo Spiritu universalis, seu Aqua nostra, quæ est Fæmella; (ut supra dixit Petrus Bonus Lapidis nostri,) ait Lullius cap. 42. Tom. I. B. pag. 733. 2. col. Famina aperit virum (nempè spiritus solvit Sal) verruntamen Lapis fieri nequit per simplicem Fæmellam, cùm ipsa venerit à genere generalissimo universali, &c. Sed est necessè suo Corpori, seu Sali conjungere, quod est coagulum, ut supra dictum est, & ex omnibus congruentibus comprobavimus, &c.

Hinc ergò benè Sophistæ sanâ mente reflectent, an nostrum Cælestè Roridum universale subiectum unquam aliquod esse possit metallum? cùm certè metalla spiritum universalem quô carent, nunquam dimittere possint; nequè metalla sunt dulcia, nequè odorem habent, nec illa comedere possumus, ut supra dixit Lullius, &c.

Un-

Undè idem Sendivogius in suo Epilogo post 12. suos Tractatûs Novi Luminis, Tom. 2. B. pag. 472. 2. col. inquit. *Est in Aëre occultus vita cibus, quem nos Rorem de Noste vocamus, cuius spiritus congelatus (sal illud Centrale Naturæ videlicet in Rore nostro coagulatum) melior est quam universa Terra &c.* Et ulterius subjungit. Id enim accipere debes, quod est, sed non videtur donec Artifici placeat (nimirum sal hoc Naturæ Centrale in ipsa magnesia occultum, & spiritus universalis igneus in ea inclusus) *Est enim Aqua Roris nostri, ex qua extrahitur sal Petra Philosophorum &c.* & ulterius addit: *Et sic hōc locō habebis verissimam Hermetis explicationem, asseverantis Patrem ejus esse solem, matrem vero Lunam, & quod ventus portaverit illud in ventre suo, ex Aëre videlicet nimirū Sal Alcali nostrū, quod Philosophi Sal Armoniacū, Sal Vegetabile, sulphur naturæ &c. nuncuparunt, occultū in ventre magnesia nostra &c.*

Hinc de hoc occulto Sale, Aurō nostrō. ut supra, audivisti nuncupatō, legitur in Rosario Abbreviato, Tom. 2. B. pag. 133. in principio, I. col. soluatū Aurū, quod in Corpore magnesia nostræ est occultū, ut in suam primā spermaticam reducatur materiam &c. Ergò clarè vides, quod omnes, ut dictum est,

G

est, in hoc unico Sale in Centro prædictæ magnesiæ occulto, in primum naturale sperma reducendō, ubique convenient. Ergò hoc est Aurum & Argentum Philosophorum, ut supra ex Lullio notāsti, verum & unicum Corpus eorum, veraque species metallica inquirenda, veraque Radix mineralis in hac Arte sumenda, non autem metallū vulgi, ut abundē ex omnibus unisonis supra comprobatum est? Hinc legitur in Arca Arcani Tom. 2. B. pag. 598. ex Rustico, Part. 2. 1. col. *Omnium enim metallorum sperma Naturale, est in hac unica Re, quam merito electrum immaturum, magnesia, & Lunaria, &c. vocatur.*

Nunc aliam videamus Concordantiam, an' hoc Sal sit illud met Amarum, Alcalicum, Aér congelatus, Sal Armoniacum, Sal Vegetable, & Sulphur Naturæ, ut supra à Sendivogio, &c. Descriptum, inquit enim Lullius in suo Testamento Novissimo, Tom. I. B. pag. 794. 1. col. *Fili variis nominibus illud sulphur Gloriosum Philosophi nuncuparunt: dicitur enim Sal Armoniacum, Sal Alcalicum, Sal Amarum, ventus si- ve Aér congelatus, Sal Nitri, Sal Natu- ræ, Sal Vegetable, &c.* Ergò hoc sulphur Naturæ non elicetur ex metallis, sed ex magnesia nostra, in cuius centro latet occultum

um, sicuti de similibus Concordantiis Trias ossem implere volumina, sed satis hæc esse voto, cùm nunc edoctus ubicunque sedulō spiritu perlegendo similia invenire poteris; quæ antea pro te erant verba ignota in Libro sigillato signata, ut ait Isaias ad Habræos cap. 29. quare sicuti Documenta hæc non erant juxta tuam mentem in metallis & mineralis adaptata nullam super ipsa reflexionem accisti. Nunc autem jam vides quanta sit differentia inter veram Hermeticam Chymiam, & falsam sophistarum metallurgiam, gratias Deo agas. Item Lullius cap. 23. Tom. I. B. pag. 721. 2. col. ait: *Elemen- noſtra ab una ſola Natura exiverunt, quæ ſpecies mineralis influxa eft potentia- liter &c.* Et in fine concludit, dicens: *Quare ita trahimus illa de potentia in a- lum, &c. et cetera.* Ac de prædicto sale amaro. inquit Riplæus in Lib. de Mercurio: *Conſide- rabenè, quod ex omnibus pretiosis fructibus prima illorum materia amara ſit & acerba: à quoque Sal Naturæ prima metallorum ma- teria amarum eft & acerbum, &c.*

Hinc addit Avicenna Tom. I. B. pag. 34. in fine 1. col. in Declaratione Lapidis Filio Aboali: *Oportet, ut forma magni- fixiris educatur de potentia hujus materiæ auræ generationem determinata videlicet,*

ad actum, in qua naturaliter existit; in eadem Elementorum inviscata grossitatem abscondita: ideo Lapis originalis ac mordialis vapor appellatur, quia est aurum fieri, seu in via digestionis non dum Naturam fixum, neque ad metallicam affectionem terminatum, neque specificatum sed imaturum, &c.

Quid ergo lucidius dici potest, ut scamus, quod primum sperma, seu primus dialis vapor metallicus inquirendus sit in Arte; quod Natura utitur, &c.

Dicit autem Lullius in fine cap. 24. Tō. I. pag. 722. i. col. Quando vero panem confundit. Unde ibidem loc. suprà citatō voles, accipe primo farinam, & hoc intelligit. addit Lullius: In quibus Elementis figuratè de Elementis loquamur, &c. His sunt entia realia mineralia, de quibus est, ut suprà dixit Sendivogius Tom. 2. Tractat. 6. in fine pag. 468. nempè inquirendum est? neque in aëre, ut suprà ex C. gore Buccinæ Tom. 2. pag. 149. erga finem declaravimus, dicente: Ne prasumimus ipsum inquirere in sua prima specie simplici in Elementis? sed debes ipsum querere in

ie ex Elementis composita, &c. Nimirum ut dixit Sendivogius in materia secunda Elementata; non autem, ut ita addit Lullius ap. 24. suprà citat. principia nimis remota subtilia; neq; ultima nimis grossa & composita sumere debes? quia principia sunt Elementa, ultima sunt metalla jam specificata, & mortua, sed medium tan- sum sumes materiam, in qua sunt Elementa elementata, vivaq; semina jam ad metalli- generationem proximè habilitata, &c.

Propterea dixit Lullius, accipe primo farinam, quæ est materia secunda, sive media ad panem conficiendum proximè habili- tata, & ne quæras primam in Elementis occultam. Unde ibidem loc. suprà citatō voles, accipe primo farinam, & hoc intelligit. addit Lullius: In quibus Elementis figuratè de Elementis loquamur, &c. His sunt entia realia mineralia, de quibus est, ut suprà dixit Sendivogius Tom. 2. Tractat. 6. in fine pag. 468. nempè inquirendum est? neque in aëre, ut suprà ex C. gore Buccinæ Tom. 2. pag. 149. erga finem declaravimus, dicente: Ne prasumimus ipsum inquirere in sua prima specie simplici in Elementis? sed debes ipsum querere in

Ac idem Lullius cap. 25. Tom. I. B. sub jungit: Et diximus tibi, quod sit Doctrina & apparent, & cæt. Quia non jam virtus mineralis, quæ descendit de celo in naturam mineralēm potentialiter, & cæt. nos de potentia ad actum deducimus, ut supra dixit, & cæt. Ethoc est, quando Sol hi dicunt: Naturam mineralēm sumere de-

debēs, quia omne simile generat sibi simile, & multiplicatur in illo; nam extrinsecus naturam mineralē nihil efficies, & ceter.

Nempē, ut suprà dixit Lullius quod materia hæc descendat de Cælo in naturam mineralē virtualiter, & potentialiter, scilicet descendit in primum sperma naturale minerale ad metallū generanda proxime determinatum, & ita ex auro facimus aurum, & ex metallis spiritualibus metallū perficimus, non autem ut simplices putant quod de metallis & mineralibus jam specificatis ad eorum finem deductis terrestribus mortuis, Philosophi intelligant? Hæc autem eorum ignorantia est, quia non student vel si studeant, faciunt sicuti canes è Nilo aquam fugiendo lambentes, & ideo nihil intelligunt. Sicuti multi in Regulo marti laborantes, ac Basiliū pro eorum Authorē citantes: quando Basilius erga finem Lib. sui Currūs Triumphalis apertè dicit quod sint stulti, & de hac Arte nihil sciant & ceter.

Idem Lullius cap. 35. loc. citat. pagin 730. i. col. inquit: Ideo Fili satis elucidatus esse debes, quod nisi esset universale, & superium genus, per quod natura gubernatur nulla res esset, & ceter. - quod genus est materia naturæ, & ceter. - Unde necessè est tibi qua

quod per transmutationem sue formæ per certos gradus separationis convertas dictam Materiam de potentia ad actionem, &c. - ac propinquam & vicinam ad lineam metallicam, aut ad genus, in quo erant ab eorum initio, de qua materia, vel genere, natura incipit operari, & ceter. & hæc est materia metallica nostra sulphurea naturalis, ut addit Lullius cap. 57. pag. 742. 2. col.

Qua de causa omnes unâ cum Basilio Valentino scripserunt, quod sine radice universalī omnia sint vana. Et ipse Basilius clarè demonstrat, ut inferiùs, quod sua quodque particularia ex antimonio, & ceter. mediante hoc Sale naturæ universalī suo quodque spiritui mercuriali universalī coniuncto perfecerit, alias nihil; cùm in suo Tractatu de Rebus naturalibus, & supernaturalibus, ac de prima radice metallorum, & spiritu mercuriali universalī cap. 3. apertè dicat: Quod universalis sua scaturigo metallorum, seu particularium fuerit idem illius spiritus mercurii universalis, quem omnes Philosophi habuerunt, nec aliter concludere poterunt. Et alibi subjungat: Quod sine radice universalī, quæ unicè in re unicare peritur, nemo presumat, nec particularia neg. Sophorum Lapidem confidere, & ceter. et

Unde vide Cheiragogiam Helianam vol. 4. Theatri Chymici pag. 275. 278. & 285. quæ ex ipso Basilio ibi relata de hoc punto dicantur; & tunc phantastici in antimonio, regulo martiali, ac vitriolo vanè laborantes, ex Basilio ipso in suo Curru triumphali male interpretato, ac pessimè explicato, secundum sonum verborum, in illis falsis excerptis subjectis versantes, quam procul distent ab intentione Basiliū videbunt. De quo antimonio Basiliano, & cæt. quomodo intelligatur, vide Eugenium, Philaletham Germanum in suo Euphrate in fine, in Appendix, & cæt.

Unde Lullius cap. 43. Tom. I. B. pag. 734. in fine 1. col. subjungit: *Per virtutem attractivam, & per concordantiam naturæ, trahit, & inspissat per subtilem vaporem sulphuris, qui est in nostra minera in similitudinem fumi mercurialis siccii & sulphurei, in ventre cuius est ignis non urens. Quod est Sal Naturæ prædictum siccum sulphureum mercuriale igneum, & cæt.*

Et ulterius idem Lullius cap. 48. loc. citat. pag. 737. in fine 1. col. ait: *Et ideo quando volumus, quod siccum illud (Sal videlicet) vertatur in primum humidum sperma, accipimus aquam in qua spiritus delatus est, nempè vapor ille aëreus (nimirūm spi-*

*spiritus ille universalis) sine quo vapore, qui est materia nostri germinis descendens à genere generalissimo, non potest congelari. Ideo tibi dico, quod bene scias substantiam illam aëream nostri Lapidis disponere (scilicet spiritum universalem) et substantiam terræ ejusdem Lapidis (nempè Sal) que est sua mater, quoisque sint absque separacione benè conjuncti, & cæt. Fili substantia aërea est materia nostri germinis, cuius spiritus, seu humiditas multum est ignea, quia induita est proprietate ignis natura, & cæt.*

Quapropter terra hæc nostra, nempè Sal Naturæ, nisi primò mediante spiritu in purissimum vaporem deduceretur, nullum haberet in metallis ingressum. Videant ergo Sophistæ, an sit possibile eorum metalla in prædictum vaporem deducere? Heu simplicitas! heu insanía!

Idem Lullius cap. 78. Tom. I. B. pag. 754. 2. col. inquit: *Materia nostra (Nota Bene) est quedam substantia multum pinguis, lutoſa, ac fortiter unctuosa, & aërea, in ventre, cuius est ignis ille, quem querimus, &c. Nempè spiritus universalis, qui est Mercurius & ignis noster.*

Cùm qua materia pingui, ut suprà diximus, primò vinum Philosophicum, & acetum conficimus, ex quibus bene putre-

factis, & fermentatis, spiritum volatilem illum universalem, seu aquam ardentem, quæ est aqua vitæ nostra mercurialis, & spiritum quoque acidum ferè alcalicum eruimus, & ex fæcibus, seu tartaro calcinato, sal naturæ extrahimus: Deinde cum spiritu acido sal solvimus, solutum, spiritu volatili conjungimus, & in Lapidem decoquimus, &c. Et hæc ars nostra, qua de causa, cum materia hæc in purissimum vaporem ita colligata, atq; ad fixitatem sit redacta, omne subinde corpus metallicum facile penetrat, tингит, restringit, & perficit, &c. quoniam est sua vera prima species, & genuina radix, &c.

Hinc Lullius in suo Testamento Novissimo, Tom. I. B. prædictæ pag. 791.2.col. dicit: Et hoc intelleximus fieri in hac arte magna, cùm dixerimus: *Calcina fæces vini, vel tartarum ejus, extrahe Sal, & imbibe illud cum sua aqua vita rectificata, &c. Et per hunc modum augmentabis, & perficies Sal Vegetable nostrum; & de hac acquisitione & perfectione valde locuti sumus in nostris Libris, &c. Fili acutio & perfe-ctio istius Salis fit cum aqua sua propria, & cat. & non aliena, &c.*

Et vide Concordantiam in Tractatu Gloria Mundi Vol. 6. Theatri Chymici pag. 516. & combina, &c. Sed semper intelli-

gas

gas de vino Philosophico, quamvis ab Adeptis raro exprimatur, qua de causa multi decipiuntur putantes, vel quod sint nugæ, vel quod de spiritu vini communis ipsi intelligent, & fallunt, ac etiam de ejus proprio tartaro calcinato, qui tartarus post primam calcinationem est nigerrimus, & spumis seu squammis ferreis assimilârunt sapientes, & tunc est illud nigrum nigrô nigriùs totiès à Philosophis descriptum, ex quo, ut ait Antonius de Abatia in sua secunda Epistola, eruitur prima metallorum, & Philosophorum materia, nempè Sal. De quo dicit Lullius: *Hic tartarus est nigrior tartarô ex uvis Cataloniae genitô.* Quamvis etiam figuratè de vino putrefacto, cùm primò sit nigrum, quandoque cabalisticè dixerunt: Nigrum, nigrô nigriùs distilla, & cæt. Ex quo vino, & aceto duæ aquæ mirabiles extrahuntur, spiritus nempè volatilis ex vino, & spiritus acidus ferè alcalicus ex aceto, qui ambo sunt nostri Mercurii, ut suprà dictum est, & Ignes nostri Naturæ, & contra natu-ram vocantur.

Undè vide Isaaccum Hollandum primò, de Opere vegetabili, de quint'essentiis, deinde de Opere quoque minerali, ubi nîla liud, quām de istis spiritibus in toto Ope-re ipse loquitur, & cæt. & cum prædictis combina,

De

De quibus duabus aquis seu spiritibus prædictis inquit Lullius in suo Compendio Artis Alchymicæ cap. 2. Tom. I. B. pag. 876. 1. col. *Fili, duæ aquæ sunt extractæ ab una parte Naturæ, per quas formatur tota nostra Ars Alchemiæ: una facit Lapidem Volatilem ( id est spiritus volatilis ) & alia facit Lapidem fixum ( nimirūm spiritus acetii ) Intellige ergo: Conformatur enim tota hæc Ars per duas prædictas Aquas, si ne quibus nil fit; sed sunt alterius Naturæ, quamvis sorores, ac de eadem materiâ in suo principio fiant, & cæt.* De qua materia, vide Rogerium Bacconem in suo Speculo Alchem. cap. 7. & cape intentionem, &c.

Cùm ergo tota Ars Alchemiæ ab istis duabus Aquis dependat, & Sophistæ nec unam habeant, neque illas noscant; quomodo Lapidem nostrum confidere præsumunt? Quæ dementia? quæ insania?

Quæ Aquæ, seu spiritus prædicti multis decorantur nominibus, ut ubique nunc edoctus perlegendo comprehendere poteris, de quibus nominibus in parte descriptis, vide Lullium in suo Testamento Novissimo Part. I. Tom. I. B. C. pag. 792. 2. colum. vel Seniorem Tom. 2. dictæ B. pag. 219. in fine 1. col. sed si fueris sapiens, modò per meam lucidissimam explicationem instru-

ctus,

Etus, sanè concipies, quod ubicunque de metallis omnibus, Lapidibus, Salibus vulgo notis, cæterisque Corporibus solidis Sophi loquuntur, semper de prædicto Sale nostro mirabili intelligent, ex re vilissima extra-  
cto, ut Pythagoras in Turba Sermon. 31. & 64. testatur Tom. I. B. pag. 454. Hinc ibidem addit Astanius in eadem Turba pag. 458. 1. col. in fine sermonis 42. *Istud Corpus sulphureum naturale, omnibus mundi nuncupatur nominibus.*

Propterea Philaletha in suo Fonte Chemicō Tom. 2. B. pag. 697. 1. col. inquit: *Quare jubeo, ut capiatis illud subjectum, quod vile est, & toti mundo manifestissimum, ex quo extrahetis modò mirissimò, quod est in illo occultissimum, hoc est Solem nostrum, & menstruum nostrum, seu aquam nostram igneam, & cæt. & ibidem similiter declarat, quod istæ duæ prædictæ aquæ sint ignes nostri, &c.*

Et ubicunque de rebus omnibus fluidis, calidis, igneis, oleosis, roridis, succosis, aqueis, urinosis, menstruis, & cæt. Scripserunt semper de prædictis duobus spiritibus, Sophi intellexerunt: Hâc tamen cum differentia, quod omnia fluida alba, pro spiritu vini nostri volatili sumuntur, & omnia fluida rubra, vel acida, spiritum acetii nostri

stri indicare Sophi voluerunt, ut Senior Tom. 2. B. pag. 220. in fine 1. col. & alibi declarat. Sicuti etiam cum de Vase Naturæ, Balneo Regis & Reginæ, Balneo Mariæ, Fimō equinō, Igne Naturæ, & cæt. semper de spiritu prædicto intelligas. Hæc ergò sit tua Regula Generalis, & non errabis. Nam Authores ubique perlegendo, venè observare poteris, quod quamvis diversimodè solutionem Corporis prædicti, sub nominibus aquæ fortis & metallorum, urinæ & lapidibus, aquæ tonitrualis & salium, fimi equini & calcis vivæ, aquæ vitæ & plumbi, Mercurii, & Auri, & cæt. semper ita cabalisticè illam variis describant modis; in substantia tamen, semper hoc unicum nostræ solutionis Salis Opus concludunt, scilicet humidum cum sicco, Corpus cum spiritu, volatile cum fixo, simul solvendo & congelando conjungere, ut omnes unanimes Sophi in hoc congruentè conveniunt, ut ita in Turba confirmatur. Hinc legitur in Annotationibus Nicolai Flammelli Tom. 2. B. pag. 353. 1. col. ex Clangor. Bucc. *Tota hac Ars in hoc vertitur, ut jungamus humidum sicco, id est solvamus, & coagulemus: Humidum est spiritus; siccum est Corpus perfectum, scilicet ab omni sorde mundatum, & ad perfectionem redactum,*

ut

ut suprà ex Guidone notasti, &c. & ulterius ex Villanovano ibidem pag. 354. 2 col. inquit: *Quod dissolvit Corpus, à spiritu est, quod vero coagulat spiritum, à corpore est, &cæt.* Et cætera multa, quæ de hac Salis præparatione ibi scripta sunt, sedulò perlegas.

At quia, ut suprà dictum est, spiritus ace-  
ti extrahit animam à Corpore, & tingitur ut  
sanguis (*uti legitur in Turba ex Dardario*  
Tom. 1. B. pag. 451. 2. col. sermon. 19.)  
dicitur Aqua rubra, quamvis sit Alba, ab  
ista scilicet operatione sua, ut ita declara-  
tur penès Seniorem, Tom. 2. B. pag. 224.  
in fine 2. col. & ultrà. Sive in Tractatu  
Clangoris Buccinæ similiter Tom. 2. B. pag.  
159. ex Lullio 2. col. & vocatur quoque  
Sanguis Draconis, & Leonis, Sanguis Hu-  
manus, & menstrualis, & cætera rubra. Vel  
Aqua fortis, spiritus vitrioli, seu nitri, uva  
acerba, succus mali granati, & cætera acida;  
& Ignis contra naturam nuncupatur. Et è  
conversò spiritus vini volatilis, Aqua alba:  
Lac Virginis, albumen ovi, oleum Lunare,  
& cætera alba appellatur, ac ignis quoque  
naturalis vocatur. Et ambo sunt nostri Mercu-  
rii albus, & rubeus, qui oleum Solare, &  
Lunare etiam dicuntur.

Nunc ergò intelliges Arnoldum Villa-  
nova-

novanum in se suo Thesauro Thesaurorum cap. 8. Tom. 1. B. pag. 669. 1. col. dicentem : *Et sicuti fecisti cum aqua rubra, ita facies cum Alba, quoniam unum, ac eundem modum ablutionis habent, & consimilem effectum ; nisi quod Aqua alba est ad albificandum, & Aqua rubra ad rubificandum : Non ergo misceas unam cum alia, quoniam errabis, si secus fueris, & cæt.* Et ulterius cap. 10. loc. cit. in eadem pag. 2. col. repetit : *Non ergo misceas oleum auri, cum oleo argenti, quoniam errabis, & cetera, ut suprà dixit, ut noscamus, ut suprà dictum est, quod omnia fluida, oleosa, rorida, aërea, & cæter. nñl aliud significant, quam prædictos duos spiritus, sicuti quoque, cum perlegas: pone suprà Corpus de aëre, seu igne; vel imbibe, sive amalgama aurum cum Mercurio albo, vel rubro, vel cum Aqua Solari seu Lunari, sive cum oleo Solis, vel Lunæ, seu solve Corpus cum Aqua forti, vel cum igne contranaturam, & similia, nñl aliud semper esse credas, quam Corpus prædictum cum suo spiritu imbibere, impastare, conjungere, solvere, & cæt. vel cum spiritu aceti, vel cum spiritu vini nostri, juxta nomina prædicta Alba, vel Rubra, acida, vel dulcia, & cæt. Quoniam in hac prima Salis mediante acetô nostrô radica-*

dicali solutione, ac indè secundo cum spiritu volatili inseparabili coniunctione tota Ars nostra consistit, ut in prædictatis Annotationibus Nicolai Flammelli, ex omnibus ibi citatis sanè comprehendere poteris. De quibus duabus Aquis, ut suprà tot nominibus nuncupatis, ita quoque legitur in iisdem Nicol. Flamm. Annotationibus Tom. 2. B. pag. 357. in fine 2. col. *Aqua Philosophica duplex est : solaris, nempè, & Lunaris, ex quibus, & cæt.* Et vide ibidem ex Rosario, & cape intentionem.

Hinc ita Lullius in sua Practica cap. 18. confirmat, ut Tom. 1. B. pag. 769. 1. col. inquiens : *Et sicuti fecisti de Aqua Luna, facias de Aqua Solis. Et sicuti audiisti de Aqua, intellige etiam de aëre, oleo & cæt. quæ omnia unum & idem sunt, &c. ut in Rosario declaratur, & cæt.*

Undè suprà dixit Arnoldus, quod non confundamus Aquam albam, vel oleum argenti, cum Aqua rubra, seu oleo auri, quia Aqua alba, vel oleum Lunæ est ad albificandum, & Aqua rubra, seu oleum Solis ad rubificandum, & cæt. Quapropter primò spiritu aceti, seu Aquâ rubrâ ad Corpus solvendum utimur, qua de causa etiam Aqua prima vocatur, ac ibi animam à Corpore extrahendo, unâ cum ipso Corpore rubifi-

catur ut sanguis , & ita Aqua rubra dicitur , quamvis in sua natura sit alba . Ac subinde cum Aqua alba , Oleo Lunari , nempe spiritu volatili Corpus seu Latonem nostrum , antea per acetum rubificatum , dealbamus . Et ita Aqua secunda , & aqua alba nuncupatur , cum Aqua alba denique Corpus conjungimus , undē separatim unam post aliam in Salis præparatione , Absque aquarum . seu spirituum confusione , in Corpore imbibendo imponimus , aliàs si ambæ aquæ simul confunderentur , certè Corpus nunquam resloveretur . Et hæ sunt Cabalæ Sophorum inexpertis incomprehensibiles , ut modò verè fateberis , & me in hac arte expertum esse concipies . Nàm similia , ita evidentissimè ex omnibus Philosophis congruentibus comprobata , certè nunquam audisti , nec vidisti ; quare omnia prædicta nisi in arte expertus explicare potest . Et si ego ab initio simile exemplare habuisssem , centum dedissem aureos , & cæt . nec tamdiu ad hoc mysterium penetrandum studuisse , & cæt .

Hinc dicunt Sophi , quòd solvamus aurum Aquâ sui generis : Hoc est , ut solvamus sal nostrum , quod est aurum nostrum cum spiritu aceti Philosophici , qui verè est aqua sui generis , ex eodem fonte proveniens .

Ali-

Aliàs esset fatuitas credere , quòd aqua aurî vulgi generis inveniatur in orbe ? Et nunc recollige , quæ suprà dixit Lullius in suo Testamento Novissimo , Tom. I. B. pag. 791 . 2. col. nimirùm : *Calcina tartaram vini , & inde imbibit ejus Sal cum Aqua vita rectificata , & cæt . Fili hac acutio , sive salis hujus præparatio fit cum Aqua sua , & cæt .*

Quamvis semper sub aliis vocabulis , ut suprà dictum est , hæc prima Salis nostræ præparatio ubique occultetur , variatô semper descripta sermone , ac sub metallorum cum aquis corrosivis solutione , &c. palliata . Sed in conclusione nunc intelliges , quòd prædicta Corporis solutio tot cum nominibus , diversisque vocabulis mascherata , ac indè universalis spiritus , Corporisque conjunctio , nîl aliud in summa sit , quàm ut suprà dixit Lullius . Calcina fæces vini Philosophici , extrahe sal , & imbibit illud cum eodem spiritu universali ex eodem vino extracto , quia est aqua sui proprii generis .

Sicuti quóque cùm dicant : aurum non tingit , nisi priùs tingatur : similitè de hoc unico Sale Naturæ , seu sale tartari vini nostri aurifero intelligitur : quoniam , nisi priùs porrò mediante aceto nostro , quòd est aqua sui generis , ita radicaliter solveretur , nunquàm sua interna tinctura fixa extrahe-

H 2

re-

retur ab ipso, & consequentè Corpus sic-  
cum nullam præberet tincturam, ut ait Ar-  
tephius, neque ingressum in aliis haberet  
metallis. Cùm autem anima rubra à dicto  
Corpoce per acetum nostrum extrahatur, &  
exaltetur, ac ità nostrò modò sublimetur,  
tunc tingitur tincturâ suâ. De quo ità à  
me sincero corde explicatô mysteriô, vide  
Menabdes in Turba cap. 25. Tom. 1. B. pag.  
453. 2. col. ubi lucidissimè prædicta confir-  
mata reperies, & me sincerum, atque ex-  
pertum esse comperies.

Quòd acetum non tantùm tot diversis no-  
nominib⁹, ut suprà demonstravim⁹ ( sicuti de  
sale, ac spiritu volatili quóq; fecerunt) Philo-  
sophi occultârunt, sed etiam Aquilâ illud vo-  
cârunt, quòd certè nemo Sophistarū unquā us-  
quedū intellexit, nec audivit. Unde de hoc  
puncto legitur in Concilio Conjugii de Massâ  
Solis & lunæ, Tom. 2. B. pag. 240. 1. col.  
*Novem Aquile sunt 9. partes Aceti, &c. cæt.*  
*quia nulla res potest solvere Solem nostrum,*  
*nisi Aquila nostra, & cæt. - & ulterius addit:*  
*Hinc Moses in Turba (ut Sermon. 61.) ait:*  
*Fungite primò ( Nota primo, & & memen-  
to suprà dictarum ) 9. partes de Aceto, &c.*  
*Hæ enim Aquile habent arcus extensos Cor-  
pus mortificantes, ejusque animam extra-  
hentes, qua est Tinctura soluta, &c. De*  
quo

quo aceto Philosophico, vide Micrer. Vol.  
5. Theatri Chymici pag. 99. &c.

Hinc addit Senior, Tom. 2. B. pag. 220.  
circa medium 1. col. *Fit rubificatio Corpo-  
ris cum 9. partibus Aquæ prima, & ità per-  
ficitur præparatio prima, qua est solutio, &c.*  
Quæ sunt illæ Aquilæ in Tabula delineatæ  
penès ipsum Seniorem Tom. 2. B. pag. 216.  
Figura 12. quæ ibi sunt verè 10. quare ad  
Corpus ritè præparandum ac resolvendum,  
antequam radicaliter in Oleum irreducibi-  
le deducatur, multoties 9. non sufficiunt  
aceti partes, & quandoque nec minùs 10.  
quamvis Philaletha dicat, quòd satis sint 7.  
ut in suo Introitu Aperto cap. 7. Tom. 2.  
B. pag. 663. 2. col. ultrà medium capituli  
notatur. Hoc autem secundùm praxim Ar-  
tificis, attentionem, ignis regimen, & ma-  
teriæ qualitatem. Quoniam ego ultrà 10.  
partes pro tali solutione consumpsi, sed ut  
suprà dictum est, gradatim hebdomadatim  
scilicet imbibendo, ac subinde levissimo ca-  
lore similitè per octiduum, evaporando, ut  
tantummodò pars phlegmatica, seu hydro-  
pica, ut ait Gualdus, evanescat, & pars sub-  
tilior aërea spiritualis in Corpore figuratur,  
alioquin, si nimius esset ignis, spiritus quo-  
que subtilior unâ cum phlegmate avolaret  
in fumum, & sal nunquam resolveretur.

H 3

Hinc

Hinc legitur in Turba , Tom. I. B. pag. 450. Sermon. 16. 2. col. ex Socrate. *Et scitote, quod prima vis sit acetum, & cæt.* & ulterius addit : - *Terite ergo ipsum acetum acerrimo, & coquite donec spissetur, at cavete ne acetum in fumum vertatur, & pereat magisterium, &c. & ulterius repetit : - Et acetum terite acerrimo, ac septem coquite diebus, at cavete ne Arcanum acetum fumiget, ac etiam per noctes in igne levissimo finite, & videntes ipsum jam siccum, iterum acetum imbibite, & cæt.*

*Et ita lucide hanc octiduanam, vel septiduanam imbibitionem, acetum nostrum repetendam, ac levissimam inde evaporationem suprà prædictam, Socrates docet.*

*Et quandóque in tali leni evaporatione non sufficiunt nec 7. neque 8. dies, ut suprà ex Lullio prælegisti, donec sal siccum remaneat, &c.*

*Quare meministi eorum, quæ suprà in prima Parte diximus, nimirum, quod hebdomatim leniter decoquendo Corpus imbibamus, ac suavitè terrendo per octiduum evaporemus, & cæt.*

*De quo aceto nostro sive menstruo solvente prædicto, seu Aquilâ nostrâ, ita ex Paracelso in suis Congeriis Chymicæ cap. II. Tom. 2. B. pag. 437. erga finem I. col. no-*

no-

notatur. Inquit enim Paracelsus loc. cit. *Electrum minerale immaturum saepius (Nota) per acritudinem Aquilæ solvotur donec,* &c.

Item hoc addere opus est, ut omnia funditus intelligas : nempe cum Sophi dicant, quod materia nostra ex vegetabilibus & animalibus procedat, ut pluribus in locis perlegendendo variis ex Philosophis reperies, ut inter cæteros, legitur ex Rogerio Baccone cap. 3. sui Speculi Tom. I. B. pag. 614. 1. col. dicente : *Pono igitur, quod eligatur primò materia ex vegetabilibus, ut sunt herbae, arbores, & cæt. Vel ut ait Flammellus Tom. 2. B. in summario Philosophico pag. 370. 1. col. dicens : Vegetabilia, Animalia, & mineralia, quæ in una conjuncta sunt, hæc est materia nostra, &c. Quia Sal dicitur minerale ; at quare subiectum hoc vegetabile quoque, & animale dicatur, non licet homini loqui, sed oretenus tibi dicam. Sive Lullius cap. 41. Tom. I. B. pag. 733. 1. col. ubi dicit : Traximus illud de herbis & animalibus, in forma aquæ clara imprægnatæ à spiritu quintæ essentiae ( Universalis videlicet ) quam postea congelamus in vapore sui sulphuris ( nempe illam aquam claram spiritualem figimus in suo sale sulphureo ) & tunc appetit Lapis, qui*

H 4

AN-

*antea nobis erat absconditus in sua magna  
sia liquorosa, &c.* Nimirum appetet Sal,  
qui dicitur Lapis, & Sulphur Naturæ in cen-  
tro magnesiae nostræ liquorosæ occultum, in  
quo subinde congelamus, & figimus spiri-  
tum mercuriale quintæ essentiæ universa-  
lis ex eodem suprà dicto subiecto liquoro-  
so spermatico cælesti extractum, quod sub-  
iectum, seu magnesia nostra ex cælo imme-  
diatè provenit, & in terra ex vegetabilibus  
& animalibus mediatè habetur sicuti exempli  
grat. urina, sericum, mel, &c. vel ut cla-  
rius dicam, sicut Papyrus, quæ ex vegeta-  
bili provenit, & indè ex hominibus proce-  
dit, & tamen non est vegetabilis, néque ani-  
malis, &c.

De quo Sale Centrali addit Lullius cap.  
51. loc. cit. pag. 738. erga finem 1. col. *Fili,*  
*parapare debes Elementa tua, quousque ha-*  
*beas illam puram Naturam Prima Rei, à*  
*centro ipsorum extractæ in forma crystalli-*  
*na clara & lucida, &c.* (nempè Sal, de quo  
vide Tractat. de vera ratione Lapidis pro-  
gignendi vol. 4. Theatri Chymici pag. 396.  
ubi aperte dicitur, quòd sit primum sperma  
Solificum, & Lunificum, &c.)

Quamvis autem ità de materia vege-  
tabili & animali ubique metaphoricè, cau-  
sâ tamen nobis nota, ut suprà nuncupatâ,

ac

ac etiamex Christophoro Parisino in suo elu-  
cidario, vel Protofer Germanô similitè in  
suo Elucidario, & tot aliis, reperias, nihil  
ominus, ne credas jam, quòd positivè ma-  
teria hæc, licet Lunaria dicatur, Chelido-  
nia, &c. vel Basiliscus, & Draco sit vege-  
tabilis & animalis? néque ullò modō, quòd  
ex ipsis immediatè procedat? néque ex ipsis  
constet? Etenim immediatè est materia cæ-  
lestis, ex Elementis producta, Solis, Lunæ  
que Filia, ut ait Pater Hermes. Sed tan-  
tummodò ex Draconibus & Basiliscis, her-  
bis, & arboribus aliquò modō nobis notò  
mediatè provenit, sicuti lux ex candela.  
Qua de causa ad simplices hallucinandos tot  
vicibus à Philosophis, & præsertim à Lul-  
lio, Parisinô, Rosariô, &c. ubique de men-  
struo vegetabili, sale tartari, aqua vitæ, vi-  
nô albô, & rubrô, tartarô vini, lunaria,  
& cæt. & cæteris multis similibus, ità scrip-  
ta fuere, quamvis, ut diximus, non sine  
causa nobis nota.

Hinc ait Paracelsus in suis Congeriis  
Chymicis cap. 7. Tom. 2. B. pag. 432. erga fi-  
nem 2. col. *Philosophi dixerunt, & non i ме-  
ritò materiam eorum vegetabilem, & ani-  
malem esse, seu ex iisdem provenire:* De  
quibus verò Mercurius Philosophus ad Regē  
Calid ad hunc modum (interrogatus) locu-  
H S.      tus

tus fuit : Mysterium, inquiens, hoc solis Dei Prophetis permisum est cognoscere, quare materia hæc vegetabilis & animalis vocatur, &c. Et illis, qui materiam nōrunt.

Item legitur in Rosario Tom. 2. B pag. 88. 1. col. *Lapis noster est de re animali, vegetabili, & minerali.* Et ulterius pag. 89. loc. citat. 1. col. addit Author : *Succus ergo Lunaria, Aqua-vite, quinta essentia, vi-*  
*num ardens, vegetabilis mercurius, aqua*  
*ardens, menstruum vegetabile, &c. unum*  
*& idem sunt : succus enim Lunaria fit ex*  
*vino nostro, quod paucis notum est, & cum*  
*illo succo (spiritu videlicet) fit solutio nostra,*  
*& aurum potabile nostrum, mediante illo,*  
*& sine illo nequaquam : Corpus nāmque im-*  
*perfectum (nempē sal in sua prima natura,*  
*non adhuc depuratum) mediante illo spiri-*  
*tu (aceti nostri) convertitur in primam*  
*spermaticam materiam, &c.* Et addit Philo-

sophus : *Tres ergo sunt origines Lapidis Philosophici, scilicet animalis, vegetabilis,*  
*& mineralis : Triplex in Nominе, ac unus*  
*in esse, &c.*

Qua de causa etiam tria Opera distin-

cta descripsérunt Philosophi, ubi multi de-

cipiuntur, Sophos alias materias, aliisque

opera habuisse credentes, cūm semper unus

sit opus, & unica materia. Hinc Lullius  
in

in Elucidatione sui Testamenti cap. 1. Tom. 1. B. pag. 823. 2. col. inquit: *Extraneas res multas per similitudinem adduximus, cūm tamen una sola res nostri Lapidis existat, ac ei nullam rem extraneam verè adjungi-*  
*mus. Tres quoque Lapides, scilicet, mine-*  
*ralem, animalem, & vegetabilem descripsi-*  
*mus, cūm unus duntaxat, semper sit La-*  
*pis nostra Artis, &c.* Simplices autem So-

phorum mysteria ignorantes in metallis &  
mineris totum impendunt studium, creden-

tes, quòd Opus minerale ex ipsis conficia-

tur, at valdè decipiuntur.

Hinc Paracelsus in suis citatis Conge-

riis cap. 7. Tom. 2. B. pag. 432. in fine

2. col. subjungit : *Accesserunt ignari cre-*  
*dentes Lapidem esse triplicem, ac triplice ge-*  
*nere secretum, ut puta, vegetabili, anima-*  
*li, & minerali, quò factum (Nota) ut e-*  
*tiam multi in mineralibus hoc quæsiverunt,*  
*& fuerunt decepti : Hæc enim scientia lon-*  
*gè distat à Philosophorum opinione : Asse-*  
*runt enim Sophi suum Lapidem uniformiter*  
*vegetabilem, animalē & mineralem esse. Ete-*  
*nim notandum est, Natura suum minerale*  
*sperma in varia genera distribuisse, vide-*  
*licet in sulphura, salia, &c. Itaque Sal no-*  
*strum minerale appellatur, &c. Et ulterius*  
*ibidem addit Paracelsus : (Nota) Unde So-*  
*phi-*

phistæ ab bac appellatione MINERALI occasionem sumentes, Mercuriū vulgarem, Aurum, Antimoniu, &c. variis torturis persecuti sunt, quæ omnes erroneæ via vitando sunt, unâ cum ceteris Sophistarum præparationibus Mineralium, atq; Metallorum, nā omnia, quæ de Metallis & Mineris describuntur à Philosophis, sunt tantummodo sophisticae purgationes, cimentationes, & calcinationes, &c. ad simplices decipiendum, &c. vel sub illarum nomine Salis nostri præparationem indicare voluerunt, &c.

Unde de Metallis omnibus, eorūque præparationibus à Philosophis studiò ad simplices decipiendos descriptis, sub quibus vera salis præparatio occultarunt, & palliarunt, ut suprà sincerè dixit Paracelsus, vide quoque Parmenidem in Turba Tom. 1. B. pag. 448. sermon. 11. 2. col. Etenim hæc Ars, ut ajunt Pythagoras, & Eugenius Philaletha Germanus, non consistit in Martyrio Metallorum, sed in scientia Elementorum. Itaque sequentia sancè intelligas, & non errabis. Legitur enim in Rosario Tom. 2. B. pag. 88. in fine 1. col. *Dixerunt Philosophi, quod Lapis eorū fiat ex unare, & verum est: Nām omnia fiunt cum aqua nostra ex una re proveniente: ipsa nāq; (Nota) est sperma omnium Metallorum.* Item

Sal

Sal hoc, est Sal Metallorum, & Lapis Philosophorum ( & primum sperma Metallicum coagulatum in ventre magnesiæ nostræ occultum, ut in principio Rosarii abbreviati sub-jungitur.)

Et aqua nostra, sal, acetum, & omnia pro Opere nostro necessaria ex una radice prosiliunt; nam ex vino nostro, ac ejus tartaro, cum illo fluido viscofo Cælesti subiecto, confecto, omnia prædicta extrahuntur. Hinc Frat. Jo. de Rupe-scissa, Lib. Lucis cap. 2. Tom. 2. B. pag. 84. ait: *Materia Lapidis est una semper & eadem res, visis pretiis, & ubique reperitur in aqua viscosa, &c.*

De qua unicam materiā addit Divus Thomas, in eodem Tom. 2. B. pag. 93. 2. col. *Est autem Materia Lapidis aqua grossa pinguis, & credas preciosiorem esse illam. ab animalibus procedentem.* Et ulterius ibidem subjungit: *Hic Lapis preparari nequit absque Duenech nostro viridi liquoroso, quod in nostris mineris nascitur, &c. scilicet subiecto viridi non siccō.* De quo dicit Theodorus Mundanus, seu Edmud Dickinson Anglus: *Viridis, fluida, & vegetabilis subiecti nostri substantia est Basiusci nostri pabulum.*

Et inferius ibidem Tom. 2. B. pag. citat.

tat. ex Malchamech, legitur: *Lapis, qui est in hoc Opere necessarius, est de re animata, quem invenies ubique in planicie, in montibus, in arboribus, & sylvis, & pauperes quoque habent, & est vilissimares.* Unde vide Distinction. 1. Allegori. sup. Turbam, & cape intentionem.

Et ulterius Tom. 2. B. citat. ibidem dicitur: *Scripserunt Sophi, quod Lapis eorum sit ex spiritu, anima, & corpore, & unares, & verum dixerunt: Nam corpus imperfetum est Sal, fermentum est anima, & aqua spiritus.* Hinc Lullius cap. 9. suæ Theorizæ Tom. 1. B. C. pag. 714. 2. col. ait: *Quod spiritus universalis, seu Mercurius ex Lunaria nostra eruatur, in quo solvitur Draco, nempè Sal.* Unde Geber ait: *Ex eo, cum eo, & per eum omnia sunt, nā in eo sunt omnia Operi nostro necessaria: itaq; nil addimus extranei, nihilque de pura sua substantia diminuimus, nisi quod in ejus preparatione superflua, & combustibilia removemus, &c.*

Respondeant ergò Sophistæ an hæc omnia ex eorum metallis, & mineris, in uno tantum subjecto inveniantur, & nihil extranei ei addant in Opere? Certè non sic? ergò in falsa Chymia versantur? quare addit Senior, Tom. 2. B. pag. 227. 2. col. *Lapis*

*pis igitur Sapientum, in ipso, & ex ipso omnia perficiuntur: Radix, & rami, folia, flores, & fructus: Materia enim unica nostra est sicut arbor, cuius rami, & folia, & flores, & fructus, & omnia sunt ex ea, in ea, & per eam, & ipsa unica est totum, & ex ipso fit totum, &c.* Quid ergò respondebunt Chemicolæ? Hæc unica Gebri, Seniorisque sententia sufficere deberet pro Pseudo-Chymicis in Mineris & Metallis frustrà laborantibus, sicuti suprà Paracelsus, & Sendivogius dixerunt, ut suas denique relinquerent nugas, ubi certè omnia operi nostro necessaria non adsunt, & sine rebus extraneis Metalla tractare nequeunt? Ergò quare sic inutiliter tempus impendere, & pecunias projicere cum Animæ & Corporis detrimento? Nec dicere possunt, quod sit aliud Opus particulare? quapropter jam audiverunt, quod sine vera radice universalis omnia particularia sint falsa, ut etiam apertissimè contestatur Sendivogius in suo Tractatu de sulphure, Sermone de tribus principiis omnium rerum, Tom. 2. B. pag. 488. ultrà medium 1. col. &c. Etenim aurum vulgi, quamvis aliis perfectius, tamen illis suam nequeat communicare Tincturam? cùm plūs non habeat tincturæ, quam pro se ipso sufficiat; ut lucide declarat Senior su-

suprà citatus Tom. 2. B. pag. 234. in fine 2. col. quomodò ergò ex aliis Metallis imperfæctis auream tincturam , vel semen auri icum Chemicolæ eruere præsumunt? De qua veritate , quòd aurum quocunque modò præparatum tincturam aliis Metallis communicare nequeat , vide etiam Arnoldum in suo Thesauro Thesaurorum capit. 8. Tom. 1. B. pag. 665. erga finem 1. col. atque Rogerium Bacconem cap. 3. sui Speculi Alchem. in eodem Tom. 1. B. pag. 614. 2. col. Undè dicit Geber in eodem Tom. 1. B. pag. 581. in medio 1. col. *Philosophi hanc scientiam occultaverunt sub nominibus omnium rerum in mundo ( Nota ) maximè verò sub nominibus omnium metallorum.* Ergò non est Metallum?

Undè notandum est, quòd quamvis hæc materia mineralis dicatur , imò , animalis quòq; & vegetabilis , licet non sine causa ita vocetur , tamen nullum est absolutè subiectum minerale , nullum vegetabile , nullumque animale , néque ex ipsis positivè proveniens , ut ita Sendivogius in sua Epistola 54. Tom. 2. B. pag. 515. in fine Epistolæ ex omnibus Philosophis testatur , & Fratres Aureæ Crucis , &c. confirmant. Cùm ergò ex triuno Naturæ imperio sit exclusum? necessariò subiectum universale Olympicum aëreum esse debet ? Nihilominus est tale , quòd sine

con-

contradictione dici potest , quòd sit , & non sit animale , vegetabile , & minerale , ut Marc. Eugen Bonaccina in suo Compendio de Auro potabili cap. 2. & cæteri scripserunt : Quoniam quamvis ex Cælo immediate proveniat , tamen mediantibus animalibus & vegetabilibus super terram invenitur , & sub sterquiliniis conservatur. Sed sicuti suprà diximus , aliò meliori , ac priori modò explicari nequit , quòd tale Olympicum subiectum ex animalibus & vegetabilibus procedat , sicuti Lux ex candela. Aliàs nisi aliquò modò ex prædictis proveniret? tot Philosophi suprà citati , non toutes in eorum scriptis illud animale & vegetabile nòminâssent ? de quo ita loquitur Flammellus in suo Sumario Philosophico , Tom. 2. B. pag. 370. 1. col. *Verum enim verò Philosophis Hortus aliquis est , in quo Sol eorum tam matutinis , quam vespertinis horis de die atque nocte indefinenter comoratur , idq; cum dulcissimo rore suo , à quo benè inspergitur , atq; humectatur , ejus inde terra , arbores , fructusq; aureos producit , &c.* Et hic est ros noster , ut addit Sendivogius in suo Epilogo post suos 12. Tractatus Tom. 2. B. pag. 472. 2. col. ac lucidiùs in sua Epistola 54. loc. cit. pag. 515. 1. col. demonstrat , &c.

I

Et

Et Basilius Valentinus in suo de magno Lapide Antiquorum Tractatu Tom. 2. B. pag. 412. i. col. in Præloquio, inquit: *Non vero necesse est hoc semen in Elementis quarere* (ut supra ex Lullio, Sendivogio, & Clangore Bucinæ demonstravimus, sed in aliquo Rorido subjecto, materia nempè secundâ ex ipsis Elementis productâ) Unde ita addit idem Basilius: *Eousq; inquiens: enim retrò nostrū sperma non tam remotum est, uerùm propinquior locus est, ubi dictum semen certam suam habet habitationem, adeò ut si solummodo Mercurium, Sulphur, & Sal (intellige Philosophorum) seu Corpus, Animam, & spiritum ex eo extracta rectifices, ac omnia simul inseparabiliter reconjungas, tunc, &c.*

- - Atq; scias (Nota) hoc nil aliud esse, quam liquorosam seu Roridam Clavem substantiam. q; Cælestem, ac aquam sicciam (manus non madefacientem) substantia terrestri additam (scilicet Sal) quæ omnia sunt unares, ex tribus, duobus, ac uno orta, & progenita, &c. Et vide Vol. 5. Theatr. Chymic. pag. 444. ex Hamuele, &c. & combina, &c.

Hinc legitur ex Arnoldo (ut noscamus, quod prædictum primum Auri semen pro hac Arte sit inquirendum in re vi li præmonstrata, non autem in Metallis) in suo Thesauro Thesaurorum in fine cap. 4. Tō.

I. B.

i. B. pag. 664. i. col. *Laudetur ergò Gloriosissimus Deus, qui ex retam vili, pretiosum creavit (Nota) ut cum mineralibus maximè in natura teneat symbolum, & dedit illi substantiam, ac substantiae proprietatem, quam in ulla alia re invenire licet, quoniam ipsum solum est, quod ignem superat, & ab igne non superatur (nempè hoc Sal mirabile) & continet in se totum, quò indigemus in opere, & in Magisterio nostro, nec alibi similia inveniuntur, &c. Quid dicent nunc ergò Sophistæ, est né hoc Regulus, Antimonium, & Aurum?*

Unde Pythagoras in Turba, Sermon. 64 Tom. i. B. pag. 463. in fine i. col. ait: *In hac vilissima re, in qua tegitur pretiosum Philosophi convenient, & si vulgus, omnesq; hujus Artis Investigatores istud vilissimum scirent, mendacium putarent. Propterea dicit M. Georgius Phædro in sua Jatrochemia pag. 185. Quæ materia adeò communis, & familiaris nobis est, ut si eam nominarem, risui & ludibrio me exponerem. Quam materiam in suis ibi Ænigmatibus ab ipso Phædrone tam lucide demonstratam invenies, quod nisi sis durissimæ cervicis pag. 118. & 187. statim eam percipies, &c. Quæ materia necessè est, ut diximus, quod absque ulla contradictione, & sine mendacio dici*

I 2

qui-

queat, quòd sit, & non sit animalis, vegetabilis & mineralis, quæ dicitur mineralis, quia, primò ex minera cœlesti provenit, secundò, quia est minera nostra, tertio, quia sal ejus est primum semen metallorum, quartò, quia omnia salia mineralia dicuntur. Item quòd sit verè & sine metaphora stercore tecta, ut ità legitur in Tractatu Concilii Conjugii de Massa Solis & Lunæ Tom. 2. B. pag. 240. in medio 1. col. *Domus hæc Thesaurorum est minera Artis in fimo pendens sterquilinii.* His ergò cognitis verissimis principiis, omnia subinde Ænigmata super ipsam materiam à Philosophis exposita, facile intelliguntur, sicuti sequentia Carmina illam lucide declarant, &c. Legitur enim in Antiquissimo Authore Roris Aurifaci pag. 71. in fine cap. II.

*Purpureas præbete Rosas, Florésque Draconi,  
Ut vobis fructum præbear ille suum.*

Item ex Malchemech Arabo Tom. 2. B. pag. 897. erga finem 2. col. numer. 33. Tabul. 9. sequentia notantur Carmina :

*Noster in Orbe Lapis trahit ex Animalibus ortum,  
Namque capit radios Pulcher Apollo tuos.*

Itèm Tom. 2. ejusdem B. pag. 196. 2. col. ex Marculino, alia inferiùs ità :

*Est Lapis occultus in Imo fonte sepultus,  
Vilis & ejectus, Fimò vel stercore rectus.*

Et ibidem ulterius.

Non

*Non Lapis hic Lapis, est Animal, quod gignere fas est,  
Et Lapis hic, Avis, & non Lapis, aut Avis hæc est.*

De qua materia universalis salinâ sulphureâ Mercuriali Roridâ Cœlesti, ubique reperibili super terram - ità Philaletha cum omnibus suprà citatis unanimiter conveniens, in suo Fonte Chymico, Tom. 2. B. pag. 693. 2. col. alloquitur : *Pro Mercurio nostro intellige illum, quem sol rediens in Vere diffundit per omnia locorum : Hunc tu mense Octobris collige, quia tūm certè maturus reperitur, & est Thesaurus totius mundi pretiosissimus, &c.*

Propterea inquit Richardus Anglicus in suo Correctorio in fine cap. 11. Tom. 2. B. pag. 271. 1. col. *Et sic secundum omnes Philosophos habemus naturam Sulphuris & Mercurii super terram, ex quibus Aurum & Argentum factum est per naturam sub terra.*

Ac Riplæus cap. 3. de Lapide animali, subjungit: *Considera attentè Nobilissimam Avem, quæ incipit volare, quando Sol est in Ariete : At consulo, ut à sua minera super terram materiam queras, né illam emendo per homines venales sit corrupta.* Undè vide Calid Joachimi Filium in fine cap. 10. Tom. 2. B. pag. 187. 2. col. & ultrà Atque Ginecæum Chymicum pag. 673. & 696. & simul sapienter combina.

I 3

Le-

Legitur enim in Lib. sive Tractat. Eugenii Philalethæ Germani, cuius titulus est : Euphrates , sive Aquæ ab Oriente : Illud autem Opus considerandum est sicuti Avis , qui extranidum volat , ut pullos nutriat : viri docti hoc jam animadverterunt , quapropter humiditatem hanc viscosam lactisimilem in eo reperibilem , Lac volatilium nuncuparunt , ulterius scribentes illis ab avibus suum deportari Lapidem . Unde vide Protheum Mercurialem pag. 162. ex Laurent. Ventur. Venet. atque ipsum Laurent. Ventur. in fine cap. 11. & in fine cap. 16. & cum Calid. Rythmis Germanicis & cæteris prædictis combina . Itè legitur in Tractatu Heliæ Artistæ , & alibi hoc sequens Ænigma ex Ptolomeo . *Vade ad cali plagam septentrionalem , & conspicies animal quoddam, septem lucidis stellis inter alias signatum ; accipe terrestre , quod correspondet ei in natura , & in cavernis montium habitat , &c.* nempè Dracones : Et ecce causa quare materia hæc animalis dicatur . Et vide Cabalam Chymiatricam denudatam Vol. 1. pag. 246. Atque Lucernam Salis pag. 32. seu Philaletham de metamorphosi metalorum capit. 7. Et cum superiori Triangulo , inferiorem combina ad perpetranda mirabilia unius rei . Ac de prædicto Ænigmate vide Riplæum in

Epi-

Epistol. ad Reg. Eduardum IV. ubi incipit : *Avem in Cælo habemus signis, stellisq; micantibus ornatam materiam nostram universalem indicantem, ex qua sulphur & Mercuriu nostrum sapienter extrahimus, &c.*

Itè legitur ex Gebro Tom. 1. B. pag. 583. 2. col. *Cùm Materia nostra ignem senserit, subito in aquam solvitur, & tunc spiritus universalis in ea inclusus sursum elevatur, & ascendit per Alembicum, &c.*

Est nè ergo Regulus , Antimonium , & Metallum aliud materia talis ? Heu ! phantastici aperite denique oculos vestros , & relinquite nugas vestras ; & nè credatis in solo Curru Triumphali hoc mysterium penetrare ? Omnes enim Authores sedulò spiritu legere & relegere oportet , & ubi omnes convenient , ibi Concordantias ex omnibus Congruentibus sanâ mente collationare debemus , si veritatem invenire velimus . ut hîc lucide patet .

Causa autem est , quare omnes Sophistæ hallucinantur , quia Sophi , cùm de hoc Sale nostro mirabili loquantur , semper , ut plurimum sub nominibus metallorum illud occultârunt , ut suprà ex eodem Gebro notâsti , quamvis etiam nomine Salium , & Aluminum , &c. illud nuncupârint . Et cùm in sua prima natura ex magnesiæ nostræ tartaro extractum ,

I 4

mul-

multis terestreitatis, licet albis, sit involutum, tum Corpus imperfectum esse dixeré, & ita, ut scientia magis esset occulta, addiderunt, quod sulphur nostrum & tinctura ex corporibus imperfectis sit extrahenda. Quod est revera pro inexpertis maximum sophisma. Ac subinde cum illud Sal sit perfecte depuratum, tunc Corpus perfectum & Aurum illud nuncuparunt: & tum dixerunt, quod ex corporibus perfectis, & non imperfectis Mercurius Sophorū duplicit<sup>9</sup> præparetur, & ex ipsis vera tinctura eliciatur, & ubiq; semper sic novæ Cabalæ inveniuntur, & ita miseri Alchymistæ nihil comprehendere possunt, imò contradictores esse falsè supponunt, quamvis verè Sophi tales non sint, quare, ut dictum est, sal impurum, corpus imperfectum vocârunt; & Sal depuratum, Corp<sup>9</sup> perfectum nuncuparunt. Et ecce exemplum, legitur enim in Tom. 2. B. pag. 357. in Annotationibus Nicolai Flammelli I. col. ex Alberto Magno (Not. Ben.) *Mercurius noster fit ex Corporibus perfectis, non autem imperfectis: Hoc est cum aqua secunda, postquam per primam aquam fuerint debite calcinata, nempè depurata, & resoluta, &c.*

Unde cum ergo memoriam habeas, jam suprà audivisti, quod duæ sint aquæ nostræ, quarum prima sit acetum nostrum, secun-

da

da verò spiritus ardens vini nostri, & cum aqua prima acida Corpus imperfectum depuramus, Philosophicè calcinamus, & radicaliter solvimus. Deinde cum aqua secunda volatili illud dealbamus, volatilizamus, perficimus, & unâ cum spiritu volatili conjungimus. Et tunc cum Corpus ad ultimum perfectionis gradum ita per Aquam nostram sit redactum, tum est Corpus perfectum, atque cum sit inde unâ cum Aqua secunda volatili colligatum, tum istæ duæ res, quæ *Rebis* dicuntur, volatilis nempè & fixa simul colligatæ, verum Sophorum Mercurium duplicitum, atque cælificatum, vel cum calce sua sublimatum, ut ait Riplæus cap. 3. componunt, quod est unicum Elixir secundi ordinis Sapientum. Unde Albertus pro intelligentibus hic lucide mysterium declarat. Cum certum sit, quod nisi Corpus primò per acetum nostrum ad ultimam perfectionem, & puritatem sit deductum, depuratum, subtilizatum, & radicaliter resolutum, nuuquam cum suo spiritu volatili secundo coniungeretur (contra Pontanicam ignorantiam) & consequenter non fieret noster duplicitus Mercurius ex illa *Rebis* confectus, scilicet ex solvente & soluto, volatili & fixo, Corpore & spiritu, Mare & Fæminâ, humido & siccô, Sole, & Lunâ, Aquâ & Terrâ,

I.

Ki-

Kibrich & Bejâ, Sulphure & Mercuriô simul conjunctis, & desponsatis, ut ubique Sapientes nîl aliud magis inculcant. Hinc ait Richardus Anglicus cap. 11. sui Correctorii, Tom. 2. B. pag. 270. 2. col. *Sic Lapis est unus, & Medicina una, quæ dicitur Rebis, id est duæ res, & ha duæ res sunt una res, nempe Aqua conjuncta Terræ: Hoc est spiritus volatilis suo Corpori fixo conjunctus, quò spiritu Corpus solvitur in spiritum, id est, in aquam mercurialem spermaticam, ex qua aurum factum est ab initio sub terra, & sic ex Corpori fixo, & spiritu volatili fit una aqua, quæ dicitur Mineralis, Mercurius duplicatus, & El'ixir, ex quo fit tinctura nostra permanens, &c. Et Philaletha in suo Introitu aperto cap. 29. Tom. 2. B. pag. 671. 2. col. subjungit: *Aitio, passioq[ue] fit in re Bina, quarum utriusq[ue] media pura substantia sola capiatur, rejectis fæcibus.* Atque Basilius Valentinus suprà citatus: Tom. 2. ejusdem B. pag. 421. in suis Rythmis de vera Lapidis Materia, addit: *Corpus, Anima, & spiritus in duobus existit; ex quibus tota res procedit: Procedit autem ex uno, & est res una, volatile & fixum simul colligata.* Unde vide sermonem unum Anonymi in Turbam Philosophorum, post ipsam Turbam imediatè Tom. 1. B. pag. 465. 1. col. & cum prædictis combina, ut denique*

vides, quòd omnes generaliter Sophi, tam antiqui, quam moderni, tam Arabes, quam Latini, Græci, Angli, &c. Artis hujus Magistri, & veri Adepti, post tot Cabalas, Ænigmata, &c. unanimiter congruentes nîl aliud in fine concludant, quam corporis hujus fixi & spiritu's conjunctionem, & ambo ex illo unico subjecto rorido universalì cælesti provenientes, sine ulla re extranea comixtione, ut suprà ex omnibus unisonis satis & abundè probavimus, ac evidentissimè demonstravimus, quæ nîl aliud in summa sunt, quam spiritus vini Philosophici, & Sal Tartari ejusdem vini prædicti, ut Lullius dixit, quamvis tot cum variis nominibus ambo occulta. Et hoc est totum mysterium per tot sæcula occultum, nunc à me prodigaliter absque ulla zelotypia fideliter evidentissimè studiosis omnibus manifestatum.

Hinc Comes Bernhardus sincerè nos animadvertendo scripsit, quòd benè attendamus, ubi Philosophi omnes conveniant, nàm ibi tantùm est veritas, ut hic clarè jam vides. Imò idem Bernhardus in sua Epistola ad Thomam de Bononia Tom. 2. B. pag. 406. in fine 2. col. æqualiter cum prædictis ità convenit, cùm dicat: *Similitè contingit in Opere Philosophico, quia spiritus conjungitur cum suo Corpore, ipsum primâ decoctione solvendo: unde*

de Rebus nuncupatur, quia ex Re bina ac dupli componitur, nimis ex semine masculino (Sale) & Feminino (Spiritu) hoc est ex solvente & soluto, Corpore & Spiritu, Sulphure & Mercurio, quamvis una sit semper Res, & Materia, &c. De qua vide Henric. Kunrath Lypsiens. in suo Amphitheatro Sapientiae pag. 75. &c.

Unde prædicta tuæ menti benè commendanda, & retine, quod nempè, ut suprà ex Gebro, Pythagora, & Astanio, &c. audivisti, ubi cunque de Corporibus tam perfectis, quam imperfectis, de Sole & Luna, de metallis & mineralibus, de salibus omnibus & Lapidibus vulgo notis, de calcibus metallorum, vitriolo, arsenicô, calce viva, antimoniô, marchasitâ, tartarô, &c. perlegas, nil aliud semper puta, quam hoc unicû sal Naturæ sulphureum Olympicum mercuriale, verum Corpus Solare & Lunare Sapientum, & Sal tartari nostrum dupli tincturâ decoratum, ut nimis suprà probatum est. Et omnia quæcunque fluida, rorida, aquosa, urinosa oleosa, succosa, & cætera nil aliud semper sunt, quam aqua nostra Cælestis præmonstrata, &c. Hæc retine, & certè non errabis, &c. ut ita Avicenna Tom. I. B. C. pag. 635. 2. col. restatur, &c.

De quo unico prædicto Sale, seu Corpo-

pore Philosophico, ait Clangor Buccinæ T6. 2. B. pag. 153. in fine 1. col. *Corpus hoc in hac Arte est primum ens metallicum, in quo virtus mineralis spiritus naturaliter quiescit.* Et metalla sunt ex eo, &c. - Et ulterius addit: *Spiritus autem dicitur mineralis virtus, in quo Naturæ Metallorum spermaticè ac potentialiter videlicet, quiescunt.* Et idem Author ulterius pag. 159. 1. col. de auro vulgi & metallis, quid concludat, observa, ubi incipit: *Ex perfecto nihil fit, uti habemus exemplum in pane, &c.*

Quare hoc certum est, quod si Corpus hoc, aurum vulgi, vel aliud esset metallum, in vaporem illud reducere spiritualem esset impossibile, ut suprà ex Sendivogio Tractat. 4. sui Novi Luminis audivisti, ubi apertis dixit verbis, quod frustra hoc facere ab Alchymistis præsumatur. Et inde ego dico: Cum ubique perlegamus, quod ex nostro uico subjecto in vinum redacto, aquam verè ardentem, summèque volatilem, sicuti est spiritus vini communis, habeamus? quomodo ergo ex metallis hanc ardentem, aquam tam spiritualem, & volatilem eruere Chemicolæ prætendunt?

Hinc addit Cato Chymicus cap. 6. Tom. I. B. pag. 372. in fine 2. col. *Phrenetica Chymia habet materiam, quæ duntaxat mineralis,*

lis, vera autem Alchymia habet materiam, cuius natura est vegetabilis, animalis, & mineralis. - Et ulterius addit : - Phrenetica falsa Chymia materiam, quam dubia mente ad Corpus elit, est mineralis, ut sunt Mercurius vulgi, aurum commune, antimonium, regulus, &c. & mirò modò tractant ( Nota) verum enim verò à solutione radicali ( ut supra dixit Sendivogius, nempè in vaporem ) tām longè abest, quām longè Cælum à terra. Adepta verò Chymia, constante mente assumit Materiam Philosophicam adequatam, videlicet Aquam Philosophicam spiritualem limpidissimam ( scilicet Spiritum universalem prædictum ) originis verè Olympicæ, in qua Corpus suum Astrale, aurum nempè Olympicum ejusdem spiritus generis, facile in vaporem solvit, nullā humanā industriā in pristinum reducibilem, & per omnes inde colores sic ambulat, donec in amictu purpureo superbiat, &c.

Undè Geber ait, ut in Tom. I. B. pag. 587. 2. col. Per Corpora perfecta non intelligo, neq; aurum, neq; argentum coīunia? sed suqrà dicta duo sulphura jam preparata pro parte fixa ( in hoc unico Sale videlicet ambo considerata, album scilicet & rubrum, ut supra satis probatum est ) Et per imperfecta intelligo supra dictum Sal, Argenti, quoque

vive

vivi nomine, significatum, &c. Quid ergò clarius? de quo unico Sale nostro, inquit Flamellus in suis Annotationibus ex Avicenna, T. 2. B. pag. 357 2. col. Sale est radix operis prima, salia autem cujuscunq; generis sint nostra. Art. sunt contraria, dempto hoc unico Sale nostræ Lunaria, quod Lunaria relinquit post se ex Corpore combusto atque soluto, &c. Ut ita quoque Lullius, &c. scriperunt, &c.

Et consulo, ut ibidem, nunc edoctus, omnes Nicolai Flammelli Annotationes sedula fronde perlegas. Sicuti etiam Opus mineralē Magistri Isacci Hollandi, quod etiam in vol. 3. Theatri Chymici reperies, ubi exceptis multis Sophisticis receptis studiō more Philosophorum ad simplices halluciriāndos, adjunctis, ut omnes fecerunt; tamē ut plurimum, ubi cum omnibus aliis convenit, totum Opus à principio usque ad finem lucidissimè docet, exceptō vinō Lullianō; sed cūm hanc proximam benē noscas Materiam, nempè Corpus & spiritum, ibi omnia addiscere poteris. Atque etiam attentō animō perlegas Tractat. de Alchymia sophistica & vera, cuius titulus est: *Consecrarium Antitheticum* &c. Tom. I. B. pag. 109. & ultrà; & ibi videbis differentiam inter Phrenaticam Sophistarum Alchymiam in Regulo Martiali, aurō, antimonio, &c. laborantium; & veram Sa-

pi-

pientum adeptam Chymiam, in prædicto uno subiecto Olympico Philosophicè operantium, &c.

De quo præfato unico Sale astrali Sophorum, addit Philaletha in suo Introitu aperto cap. 11. Tom. 2. B. pag. 665. 1. col. *Sophi salia cuncta vulgo nota in hac Arte repudiârunt, hoc unicô excepto, qui est salium omnium primum ens.*

De quo subjungit Plato in Turba Serm. 45. Tom. 1. B. pag. 458. oportet, ut Sal hoc in dulcorem vertatur, & mediante, spiritu videlicet clarescat, & tingat. Hinc Arnoldus in suo Breviario Tom. 1. B. pag. 684. 2. col. dixit: *Etenim sine hoc unico Sale operator agens, est sicuti, qui cum arcu sine chorda sagittat.* Et in fine concludit: *Quod si Deus hoc mirabile Sal non creasset, vanum esset studium Alchymicum, &c.* De quo Sale mirabili, vide Bernhardum Penotum Vol. 1. Theatri Chymici pag. 681. ubi post varias Salium descriptiones, in Conclusionem totius Operis, in fine concludit: *Quod hoc unicum Sal fixum Alcalicum, cum radicatiter sit solutum, tunc est oleum Metallorum, penetrans omne Corpus, & tingens, &c.*

Unde ait Rosinus Quæstion, 8. Contemplare igitur super iis, quæ in Libris Philosophorum inveniuntur, scilicet *Æs, Aurum:*

*Plumbum;*

*Plumbum, Ferrum, cateraque Corpora omnia, quæ in summa nîl aliud sunt, quam illud unicum Saltibi revelatum, riteq; preparandum, &c.* Quam præparationem cum aceto nostro ad Sal hoc radicaliter solvendum, si addiscere cupias, vide, ut suprà diximus, Opus Mineral. Magistr. Isaacc. Hollandi, atque Allegoriam super Turbam Distinction. 3. Tom. 1. B. pag. 469. 2. col. &c.

Quod unicum Sal ergo Naturæ Astrale est aurum nostrum, & metallum nostrum, & est Corpus ad Opus Philosophicum tantummodo inquirendum ex unica magnesia nostra Olympica extractum, non autem regulus, antimonium, aurum vulgi, &c. Quod Sal suo cum spiritu ejusdem generis facilè conjungitur, & sicuti in eorum coniunctione unum devorat aliud. dicitur, quod Draco cum cauda sua caput suum devoret, vel è converso. Itaque dicit Senior Tom. 2. B. in fine pag. 232. *Draco est spiritus, & Cauda est Sal ejus,* quia in eorum extractione, primò spiritus ex Magnesia elicetur, itaque Caput vocatur, & Sal in fine in ejus centro secundò loco eruitur, propterea Cauda nuncupatur. Ac idem Senior loc. cit. pag 228. in fine subiungit: *Hic Lapis, seu Sal est Corpus magnesia nobile, quod commendârunt Sapientes.* Propterea legitur in Allegoria super Turbam Di-

K

stin-

stinction. 3. suprà citat. Tom. I. B. pag. 471.  
I. col. *Et scito fili, quod in hoc Opere tinctura Salis & Ignis* (scilicet spiritus, qui est Ignis noster) *tibi sufficient*, &c. Nàm spiritus igneus aceti suam quoque tincturam occultam habet, itaque meritò aqua etiam rubra, & oleum Solis vocatur, &c.

Undè in fine concludimus, quòd ut spiritum universalem, & hunc Naturæ Salem obtinere possimus, necessariò ex nostra cælesti liquorosa Magnesia primò Vinum Philosophicum confidere debemus, & ratio naturalis nos docet, quoniam si ex botris spiritum vini communis elicere vellemus, non esset possibile, nàm sine fermentatione, nec uvæ, néque mustum recens spiritum præbent. Undè sicuti ex vino communi jam fermentato spiritus ejus tantummodò erui potest, ita ergò eadem methodo nos utimur, & ex vino nostro benè fermentato spiritum elicimus, ac indè Sal hoc ex ejus tartaro combusto & benè calcinato, ut suprà ex Lullio, Riplæo, Paracelso, &c. perlegisti, sapienter eruimus, quare meritò sæpè sæpiùs Corpus hoc, sal tartari à Philosophis nuncupatur. Quamvis etiam ex ipso subiecto combusto sal hoc extrahi possit; sed in illo casu spiritus deperderetur; & ita melius est antea vinum confidere, ex quo spiritum & Corpus habemus, ac etiam ex i-

pfo

pfo vino acetum confidere possumus, & ex fæcibus ante calcinationem sal quoq; volatile habere quivimus. Quapropter Lullius, Parasinus, Rosarius, & cæteri multi in omnibus ferè eorum scriptis nîl aliud magis inculcant, quàm vinum confidere, aquam ardenter extrahere, salem ex ejus tartaro eruere, menstruum vegetabile præparare, aquam vitæ rectificare, quintam essentiam vini compondere, &c. Cùm vinum hoc sit reverà prima basis in arte, ut Lullius clarè testatur, quod Chymicis vulgaribus videtur impossibile, quia in hac arte non magis intelligunt, quàm ego Cifras Chynenses, imò quando vinum, vel aquam audiunt ardenter, sive ejus quintam essentiam, rident, & nugas esse credunt. Sed ait Salomon Prov. cap. 14. *Quærit derisor hanc scientiam, & non invenit.* Ut reverà derisores, & Sophistæ adhuc nunquam ipsam invenerunt, &c.

Item, ex fæcibus vini fluidis ante eorum calcinationem, ita sal quoque volatile facile primò eruere possumus, quòd ex materia cruda minimè, nisi maxima cum difficultate, super infundendo illis fæcibus sicuti pix liquida in fundo residentibus, partem phlegmaticam Aquæ-vitæ Philosophicæ post extractiōnem spiritus remanentem, & indè aquam illam coloratam decantando, iterumque aliam

K 2

su-

superinfundendo , ac iterum decantando,&c. donec aqua illa non amplius coloretur, ac denique suavitè distillando, superfluam scilicet humiditatem secundùm artem evaporando, sal album volatile lucidum obtinebis , cum quo spiritum animabis , & ità cum tali menstruo animato Sal fixum imbibendo , Sal illud fixum augmentabis , cùm sal sali facile conjugatur , & sal illud fixum , aliud volatile secum retineat , & figat , ut ità docet Lullius in principio sui Testam. novissimi : Tom. I. B. pag. 790. I. col. & ultrà in fine pag. 791. sive in suis Experimentis loc. cit. pag. 826. & ultrà , quamvis obscurè , ac sub aliis vocabulis Chaelidoniæ , Portulacæ marinæ , Urinæ , Sanguinis humani,&c. Veram hanc occultaverit quintam essentiam , exceptò unicō experimentō , ubi reverà nimis apertè , licet mutilatam hanc artem detexit ? sicuti quóque Isaaccus Hollandus in suo Opere vegetabili inter suas quint- essentias hanc veram simili modo quintam essentiam , sed mutilatam lucide descripsit , ubi de hoc sale volatili ut suprà extrahendo clarè loquitur. De quo sale volatili parce Sophi locuti sunt , cùm non sit positivè necessarium , nisi ad aliud sal fixum augmentandum , cùm in modica quantitate in chaote nostro reperiatur , ex prædictis facibus seu tartaro subindè benè calcinato , &

in

in cinerem redacto erutum , de quo vide Basilium Valentimum in Quarta sua Clavi Tom. 2. B. C. pag. 416.in principio I.col.ubi aper- tè dicit , quòd ex cineribus Tartari Philosophici Sal hoc Metallorum & Philosophorum eruatur , quod postea oleum Philosophorum incombustibile per radicalem lejus solutionem deducitur. Ac de prædicto Sale volatili , vide etiam Epistol. 30. & 33. Michaelis Sendivog. Tom. 2. B. pag. 503. &c.

Inquit enim Lullius Lib. de Medicin. Secret. pag. 336. *Hucusque non diximus tibi rem secretissimam , quæ est quinta essentia nostra incorruptibilis, Corpus nostri Lapidis dissolvens extracta à vino albo, vel rubro ( semper Philosophico intelligas) quæ quidem quinta essentia est principale hujus artis fundamentum, sine qua nî fieri potest in Magisterio nostro.* Et de hoc vino occulto Philosophorum ferè in omnibus suis Libris Lullius similia scripsit. Imò de sua mirabili Aqua ardente , seu Aquavitæ rectificata simplici , dicit : *Quod in potionibus medicinalibus sumpta, purget sumen- tem ab omni languore & agritudine, & ab eo removeat omnes infirmitates, ac à supervenientibus infirmitatibus defendat, & in juventute conservet, &c.* uti legitur ex ipso Lullio , Tractat. de Lapide & Oleo Philoso- phorum cap. 3. de Natura , & virtute Aquæ

K 3

ar-

ardentis Philosophicæ simplicis Tom. I. B. pag. 879. 2. col. & reverâ juro tibi , quòd ego mirabilia de hoc simplici spiritu vini Philosophici viderim , imò etiam cum ipso præparato , ut Paracelsus , & Basilius docent , perfectè Podagram sanavi , uti multi viventes vide runt , & obstupuerunt . Et non est mirum ; cùm sit verus spiritus universalis , genuināq; quinta essentia Elementorum , Cælestibus , terrestribus , ac Elementaribus virtutibus decoratus . Considerent ergò Sophistæ , an ex eorum mortalibus corrosivis Aquis unquam similia videre possint ? quæ meritò aquæ mortis à Lullio dicuntur ?

Addit Riplæus cap. 2. de Lapide Vegetabili : *Vinum comune est calidum : sed aliud est vinum occultum multò calidiùs , cuius tota substantia propter abundantiam sue aëretatis facillimè inflamatur in igne , ideo vinum ardens , & aqua ardens vocatur ( Nota ) in cuius Tartaro unctuositas metallina incremabilis latet ( nempè Sal )*

Subjungit Christophorus Parisinus in suo Elucidario Lib. I. cap. 7. *Inter omnia vegetabilia unum est ( ità metaphoricè dictum ) quod ex vegetabilibus præparatur , & optimum conficitur vinum , atque ex eo , & ex hac re Qintam - Essentiam suam parant Sapientes , quæ est materia nostri Lapidi*

*pidis occulta , & cæt. Et ulterius ibidem addit : Lapis noster est Aqua ardens perfetè rectificata , suo Corpori conjuncta videlicet , à vino nostro orta , per quam idem Corpus , seu suum sal calcinatur , resolvitur & purificatur ( Nota ) Et qui aliam putant aquam , illi nunquam bonum assequuntur finem , &c.*

Et ecce iterūm , quòd Corpus & Aurū Philosophorum nîl aliud sit , quām idem sal ex tartaro ejusdem vini Philosophici eratum , qua de causa spiritus , aqua sui generis vocatur . Ergò non est metallum ? Et recollige , quæ suprà de hoc vino dixit Rosarius Tom. 2. B. pag. 89. 1. col. *Quod sine hoc vino videlicet nîl fieri possit in Magisterio hujus Artis.*

Itèm ait Isaaccus Hollandus in suo Opere Minerali Lib. 2. cap. 126. *Non nescio paucos ad intelligentiam spiritus vini nostri pervenisse : Ego autem majus secretum in hoc Opere non habeo , quām spiritus vini , & cæt. sed puta semper Philosophici , quamvis à Sapientibus non exprimatur ; & hæc est causa , quare simplices non credunt , putantes , quòd ipsi de vino , & aceto comuni intelligent , & sunt decepti.*

Nam etiam ipse Isaaccus in toto suo Opere Minerali nîl aliud loquitur , quām de spi-

spiritu aceti, & vini simpliciter, quamvis  
indè in unico loco tantum, Lib. 2. nempe  
cap. 101. hoc declareret Mysterium, ubi aper-  
tè dicit: quòd hoc semper intelligatur de  
Vino & Aceto Philosophico. Quorum duo  
spiritus sunt Ignes nostri, uti legitur ex 57.  
Regulis Philosophicis Tom. 2. Theatri Chy-  
mici pag. 135. in principio; scilicet naturalis,  
& contra naturam.

Et ecce quænam sit illa Aqua Cælestis  
ignea, & Ignis Philosophorum tam occul-  
tus in orbe, & tam per tot sæcula ab Al-  
chymistis frustrà quæsitus, qui Aurum no-  
strum Astrale, seu Sal Naturæ prædictum  
in merum spiritum, seu in primordialem  
metallorum vaporem deducit, quòd ignis  
elementaris præstare nequit. Nunc ergò in-  
telliges Philosophos undique afferentes,  
quòd omnia in hoc Opere per aquam, &  
cum aqua eorum mercuriali fiant; quæ a-  
qua Paradisi est unicus, genuinusque Na-  
turæ, Sophorūmque Mercurius, ac unicus  
vapor ille Metallicus coagulabilis. qui suo  
sulphuri conjunctus est ille Mercurius du-  
plicatus Sapientum, de quo Philosophi di-  
xerunt: *Est in Mercurio, quicquid querunt  
Sapientes, nam in ipso latet Quint-essen-  
tia metallica, &c.*

Hinc

Hinc ait Zimon in Turba sermon. 35.  
Tom. 1. B. pag. 456. 1. col. Totum Opus,  
quod invidi celaverunt, nū aliud est, quæm  
vapor, & aqua. Et Pythagoras ibidem ser-  
mon. 48. pag. 459. erga finem 2. col. sub-  
jungit: *Sciendum est, quòd in substantianil  
aliud sit hujus Artis Scientia, quæm vapo-  
ris & aquæ sublimatio.* Nec dicit, quæm  
metallorum solutio, vel exaltatio? sed va-  
poris, & aquæ? Quid ergò nunc dicent  
Chemicolæ? Verùm, ut ait Eccl. cap. 22.  
vers. 9. *Cum dormiente loquitur, qui enar-  
rat stultis sapientiam.*

Et Nicolaus Flammellus in suis Anno-  
tationibus Tom. 2. B. pag. 153. erga finem,  
2. col. similitèr ex Turba, concludit: *Quòd  
totum Magisterium nostrum fiat cum aqua  
nostra, atque ex ea, cum ea, & per eam  
fiant omnia.* Quæ aqua vaporosa certè ex  
Regulo Martiali, Auro, Metallisque aliis,  
durisque Corporibus, ut lucidissimè jam  
probavimus, haberí nequit; & sine hoc va-  
pore ad fixitatem indè deducto, Lapis non  
perficitur, &c. ut Isaaccus, Lullius, & cæ-  
teri omnes concludunt, &c.

Et nota, quòd ipse Pythagoras suprà  
citatus in Turba, ubique semper sputum Lu-  
næ nostrum Roridum Subjectum, nuncu-  
paverit, quòd nomen porrò metallis non

K 5

con-

convenit. Et si tu Amice Lector, in aliquo omnibus notô Volumine Subjectum illud inquirendo, seu legendo reperies, ubi sputum quòque Lunæ, ex nonnullis antiquis scriptoribus ibi citatis, illud nominat Author, tunc cui propriè hoc vocabulum conveniat, clarè videbis. Et tunc ibidem intelliges, quare animale, & vegetabile dicitur, quamvis sua vera origo sit immediate Cælestis. ut ibidem demonstratur apercere. Ac etiam concipies, quare, & quomodo sub sterquiliniis inveniatur. Quare plùs habent pauperes, quàm divites; quare unusquisque absque sumptu in propria Domo habere possit, & cætera omnia à Philosophis de ipso descripta; & quæ nunc tibi sunt ignota, tunc omnia lucidissimè, ac evidentissimè vera esse comperies; ac de hujus rei Mirabilitate obstupesces. *Mater est enim quadam multarum filiarum, quarum una, scilicet Sextogenita, si Avus suus eam in uxorem ducat, eamque ad dexteram suam collocet, pariet Filium Rore Cæli & Pinguedine Terræ ditissimum.* In hoc ergò Ænigmate sedulâ mente reflectas.

Item dicit Sendivogius in sua Epistola 54. Tom. 2. B. pag. 515. in fine 1.col. *Quod Nomen prædicti subjecti tam latinè, quàm hebraicè tribus litteris absolvatur; & quinque etiam Characteribus nominetur.* Et vide Flammeum in suo Fonte Chymico Tom. 2. dictæ B. pag.

351.

351. 1.col. circa medium, & cape intentionem, &c. Et quòd omnia metalla & mineralia quæcunque in hac arte sint inutilia, vide Libell. Fratr. Aureæ Crucis, cuius Titulus est: *Rosa Aurea cap. 4. & ultrà.* Sive Paracelsum in suis citatis Congeriis Chymicæ cap. 7. & cap. 8. Tom. 2. B. pag. 431. usque ad pagin. 435. inclusivè. Vel Richardum Anglicum in suo Correctorio cap. 10. in eodem Tom. 2. B. pag. 269. &c.

Item notandum est, quòd Avicenna Tom 2.B.pag. 633. post cap. 8. ad suum filium Aboalum 2.col. dicat: *Quod 60. libris mercurii puri, scilicet rectificatissimi spiritus indigeamus in hoc Opere (Nota) propter subtilissimum humorem aëreum illius extrahendum, quia totum Magisterium est in vapore.* Scilicet, quia jam suprà notasti, quòd subtilissima tantum pars spiritualior, quæ est purus vapor invisibilis aëreus remaneat, & figatur in Corpore, & totum residuum in evaporationibus evanescat. Hoc est, ut inferius ex Lullio demonstrabimus, triginta pars, quæ dicitur aër in ipso Spiritu universali latens figitur in suo sale, & 29. partes phlegmaticæ, & sicuti aqua fontis insipida in fumum avolant, quamvis antea sit spiritus ardens rectificatissimus, quod est vere mira res. Considera ergò in tot repetendis solutionibus & coagulationibus, seu imbibitionibus, & evaporationibus prædictis, forte 70. antequam Sal sit radicaliter in oleum metallorum fixum irreducibile resolutum, seu in primum sperma metallorum deductum, si verè 60. libris ipsius spiritus mercurialis indigeamus in Opere, ut suprà sincerè dixit Avicenna. Etenim ait Lullius in Potestate Divitiarum Tom. 1. B. pag. 867. erga finem 2. col. cap. 9. *Et nota, quod vix ex prædictis tringinta mensuris Lunaria simplicis, unam de prædicta Lunaria rectificata habere poteris roties per terram suam distillata, seu evaporata, &c. ut ibidem sequitur Lullius hanc imbibitionem, & evaporationem declans ob-*

ser-

serva , & cæt. Et Lunaria simplex nîl aliud est , quâm spiritus prædictus , sive Mercurius non acuatus , ut in eodem cap. 9. loc. cit. suprà declarat , cùm ipse dicat Lullius : *Si Aqua-vitæ fuerit promptè sublimata , scilicet rectificata tribus vicibus , quæ totaliter in coleari ardeat , & nihil humiditatis in ipso coleari remaneat tunc Lunaria satis erit rectificata ad hoc Opus prosequendum , &c.*

Dicant ergò Sophistæ an similis Aqua ex metallis unquam erui possit ? Et jam modò non nescis , quòd hic spiritus ardens fit Mercurius simplex Philosophorum. Et hinc lucidè noscitur , quòd Aqua tâm spiritualis & ignea , non sit ex mineris & metallis cruta , ex quibus certè Aqua talis erui nequit . nec ullus Chymistarum hoc contradicere poterit , qua de causa Aqua nostra , Aqua vitæ vocatur , & Aquæ sophistarum , Aquæ mortis dicuntur , & tamen mira res ! non credunt quamvis nihil inveniant , nihil intelligent , & licet verè ne- sciant , quid faciant , omnia contradicere volunt , ac veros derident Sophos. Heu dementia ! heu cæcitas !

Hinc inquit Isaaccus Hollandus in suo Opere minerali Lib. 1. cap. 30. *Quòd magna copia spiritûs sit in hoc opere necessaria propter multas repetendas imbibitiones , & evaporationes prædictas , & consequenter magnâ copiâ materiæ remotæ quóque ab initio sumenda indigeamus , &c.* Quare scripsit Riplæus in sua Medulla Philosophiæ ultrà medium : *Quòd saltèm 60. pondera mineræ nostræ ab initio habere debeamus , &c.* Et jam non ignoras , quid in Italia unum pondus significet. Hoc tantum tibi dico , sicuti divinâ favente gratiâ in hac Arte expertus , quòd ex 100. libris materiæ remotæ , non nisi unciam unam salis impuri , ac unam mensuram , seu pyntam spiritûs habebis : Itaque tu ipse computum facere poteris quantâ materiæ copiâ in opere tuo indigeas. Cùm Isaccus Hollandus loc. suprà citat. Lib. 1. cap. 13. apertè dicat , quòd saltèm tres libras

ma-

materiæ proximæ , nempè Salis ab initio præparati habere debeas. Propterea suprà capit. 30. dixit : *quòd magna copiâ materiæ remotæ primò indigeas , quoniam parum de hoc sale in se continet.* Quare ait Lullius in Potestate Divitiarum cap. 8. Tom. 1. B. pag. 867. 2. col. *Scias , quòd in hoc Lapide terra ( nempè sal ) sit modica , at magnæ virtutis : Nè mir eris ergò , néque cures , si pa- rum sit de terra in tanta copia materia videlicet , quoniam istud modicum terræ , quod reliquit iste Lapis , sufficit ad nutriendum totius Lapidis complementum , &c.* Et vide ulteriùs ibidem pag. 879. 1. col. cap. 1. de Lapide , & Oleo Philosophorum ex eodem Lullio , &c.

Hinc Sendivogius in sua Epistola 2. Tom. 2. B. pag. 493. atque Anonymus Gallus in sua Instructione de Arbore Solari ad suum filium Vol. 6. Theatri Chymici pag. 172. scripserunt : *Quòd sit ille Pisciculus Echenis Philosophis valde charus in vasto mari Philosophico expiscandus.* Et Hermes addit : *quòd argentum vivum in centro Trianguli à Naturâ coagulatum sit sicut punctum in ipso , &c.* Undè dicam cum Regio salmista Psal. 92. *Vir insipiens hoc non intelligit , & stultus uon cognoscit.* Sapientes autem hoc bene sciunt , & Adepti me bene intelligunt. Addit enim Riplæus in Lib. Terra Terræ : *Hic Vapor metallicus in Magnesia nostra congelatus , est sperma nostri Lapidis , & in modica quantitate ibi invenitur , &c.*

Nunc ergò non miraberis , quòd inter tot millenos millenosque homines in hac scientia introductos vix unus ad scopum perveniat . nam sicuti evidentissimè ac lucidissimè suprà notâsti , quòd omnes vulgares Chymistæ totô Cælô ab hac veritate aberrent , cùm nec primam litteram - A. in Hermetico Alphabeto verè intellegant , & tanta est differentia inter Phreneticam Sophistarum Chymiam , & veram Adeptorum Theosophiam , quanta est inter adamantem , & vitrum. Quare dico ;

eum

cum ex omnibus habeamus Philosophis, quod particulae omnia extra veram radicem universalem, nempe primum metallorum sperma, penitus & omnino falsa sint? & quod in tertia materia laborantes nihil absolute efficient; quia loco seminis ab initio corpora sumunt, & à cauda, & non à capite Sophistæ incipiunt? ut supra ex Basilio, Arnoldo, Sendivogio, & Seniore claram demonstratum est? Respondeant ergo particularistæ in metallis & mineris, rebusque specificatis laborantes, an istæ sint materiæ tertiaræ vel non? & an sint corpora, vel spermata? & consequenter hæc omnia contra Naturæ possibilitatem, Sophorūmque intentionem sint peracta nec ne? & an sit possibile, ut talia subjecta specificata & mortua in primum vivum vaporem illum universalem deduci queant? ut Sendivogius Tractat. 4. sui Novi Luminis super hanc ipsorum insaniam meritò ipsos deridet; cum talis vapor, seu primordiale sperma metallorum nullibi specificatum, tantummodo ex unica Magnesia nostra, quæ est materia secunda, & non tertia, ut idem Sendivogius testatur, extrahi possit?

Cum ergo omnes Chemistarum materiæ sint tertiaræ, non autem secundæ; & sint jam specificatae, non autem universales; Corpora & non spermata? ac Opera sunt particularia, & non universalia, ergo quid ex ipsis sperandum, & quare contra omnium Sophorum documenta hoc facere? cum absque universalí primò agente ipsis ignotò omnia sint falsa?

Qua de causa ego charitate proximi motus, ac etiam ne tanta post meum obitum desperdatur scientia, piis, amicis, ac studiosis & dignis Arcanum hoc verè stupendum patefacere decrevi, ut in eorum precibus mei habeant memoriam, sicuti humiliè omnes rogo, sciens, quod indigni, luxuriosi, avari, & vindicati vi, quamvis hic apertissimè descriptum, nil tamen intelligent, & hoc certè verè scio, alias non tam clarè scri-

scripsisse? & quare hoc scio? quia olim alicui amico omnia sincerè communicavi, & tunditùs explicavi, & tamen non credidit; quia fortè Deus ipsum exceccavit propter aliquod mihi occultum, & cæt.

De tempore autem determinato nullam possum tibi certam dare notitiam, quia secundum quantitatem materiæ, Artificis praxim, commoditates, & attentionem plius & minus Opus extenditur.

Hoc tantum tibi sincerè dico, quod valde diuturnum tempus hoc Opus petat, quoniam sola Salis præparatio per Biennium & ultrà perdurat, ut inter alios Paracelsus in suo Processu Chymico Vol. 4. Theatri Chymici, pag. 359. testatur. Sophi autem de tanta prolixitate siluerunt, ac æquivocè locuti sunt, quia ipsorum dies sunt hebdomadæ, uti clarè legitur in Clangore Buccinæ Tom. 2. B. pag. 156. 2. col. ex Turba. Atque etiam in Parte 3. Consilii Conjugii de Massa Solis & Lunæ, Tom. similiter 2. B. pag. 259. 1. col. & cæt. confirmatur, &c.

Ut etiam considerare debes, quod ante Salis diuturnam præparationem, ad vinum & acetum conficiendum tartarum calcinandum, Sal eruendum, ac ritè primò cum aqua communi distillata solvendo & congelando depurandum, & cæt. non brevè requiratur tempus. Philosophi autem de prædicta prima Materiæ remotæ divisione, ac præparatione nullam circa tempus mentionem fecerunt, cum verum Operis initium apud ipsis sit prima Salis præparatio. Unde hoc tibi dico, quod absolute ante quinquennium, nemo, quamvis expertissimus Opus integrè absolvere præsumat, licet pauci hoc dicere voluerint. Qua de causa absque ulla zelotypia Arcanum hoc tam apertè descripsi, quia primò non est Opus tam leve, nec facile, uti simplices putent, secundò, non tam paucas requirit expensas; itaque non omnes hoc facere possunt. Et ecce verum, & unicum,

ac à me probatum mirabile , Divinumque Opus Hermeticum tām paucis an orbe notum. Et omnes Particularistæ , qui extra hanc unicam veram universalem Hermetis viam in hac Scientia sine naturalibus principiis , ac sine vero fundamento versantur , sunt sicuti falsi Sectatores , qui extra unicam veram universalem Christi Ecclesiam sine Spe , & sine vera Luce vagantur , &c.

At ego jam usque dum prima vice Opus perfeci , & hanc veritatem vidi , itaque incredulis tām stupendum Arcanum demonstrare putavi , &c.

Nisi autem Divinum adsit decretum , quamvis hīc planè omnia te docui , frustrà laborem sumperis. Unde scias , quod nisi Deus noscat te verè mentem habere contritam , nūl unquam efficies. Ora ergo & labora , quia omnia cum Deo , at nihil sine Eo.


### In Xenium addam de vera Sophorum Materia. SONETTO.

**S**on di più forme , Alba , Citrina , e Bruna,  
Non son' Metallo , ed hò la mia Miniera;  
Traggo dal Sol l' origine mia vera,  
Mà mi genera ancor' seco la Luna.  
  
Stò in Cielo , e pur' in Terra è la mia Cuna;  
Stò in Terra , e pur' in Cielo è la mia sfera;  
Mercurio universal' Prole sincera  
Sal , e solfo produco , e Figli ad Vna.  
  
Qual' vapore discendo , e il Drago attento  
Frà l' Herbe mi lambisce , e frà viole;  
Sò dar' vita , è produr' Oro ed Argento.  
Son' del fuoco vital' e Padre , è Prole;  
Mà di fuoco che son' Acqua diuento,  
D' Acqua mi cangio in Sal , di Sale in Sole.

F I N I S.

Fig. 1.

TAB. I.



6.

ac à me probatum mirabile , Divinumque Opus Hermeticum tam paucis in orbe notum. Et omnes Particularistæ , qui extra hanc unicam veram universalem Hermetis viam in hac Scientia sine naturalibus principiis , ac sine vero fundamento versantur , sunt sicuti falsi Sectatores , qui extra unicam veram universalem Christi Ecclesiam sine Spe , & sine vera Luce vagantur , &c.

At ego jam usque dum prima vice Opus perfeci , & hanc veritatem vidi , itaque incredulis tam stupendum Arcanum demonstrare putavi , &c.

Nisi autem Divinum adsit decretum , quamvis hic planè omnia te docui , frustrè laborem sumperis. Unde scias , quod nisi Deus noscat te verè mentem habere contritam , nūl unquam efficies. Ora ergo & labora , quia omnia cum Deo , at nihil sine Eo.

### In Xenium addam de vera Sophorum Materia.

#### SONETTO.

**S**on di più forme , Alba , Citrina , e Bruna ,  
Non son' Metallo , ed' hò la mia Miniera ;  
Traggo dal Sol l' origine mia vera ,  
Mà mi genera ancor' seco la Luna .  
Stò in Cielo , e pur' in Terra è la mia Cuna ;  
Stò in Terra , e pur' in Cielo è la mia sfera ;  
Mercurio universal' Prole sincera  
Sal , e solfo produco , e Figli ad Vna .  
Qual' vapore discendo , e il Drago attento  
Frà l' Herbe mi lambisce , e frà viole ;  
Sò dar' vita , e produr' Oro ed' Argento .  
Son' del fuoco vital' e Padre , è Prole ;  
Mà di fuoco che son' Acqua diuento ,  
D' Acqua mi cangio in Sal , di Sale in Sele .

F I N I S.

Fig. 4.




Fig. 2.



Fig. 1.




Fig. 6.






Fig. 5.



TAB. I.



TAB. II.



—  
10

**FGH 7170**

**Innes  
Collection**